

PROPAGO  
D. HYACINTHI  
THAVMATVRGI POLONI,

Seu

*De rebus praeclarè gestis in Prouincia Poloniae  
Ordinis Prædicatorum.*

C O M M E N T A R I V S.

F. ABRAHAM BZOVI<sup>I</sup> SACRÆ  
Theologiæ Magistri, Ord. Prædic.

*Florete FLORES quasi lilium, & date odorem, & frondete in gratiam,  
& collaudate canticum, & benedicite Dominum in operibus suis.  
Ecclesiast. 39. cap.*



V E N E T I I S, M D C V I.

Apud Societatem Minimam.  
*Superiorum Permisu.*

dubl. ab 223015 II



223875

II  
—

L.F. 13 S. 498

Doctissimo, Vigilantissimo, ac Optimo Præsidi  
Prouinciæ Poloniæ Ord. F. Prædicatorum.

*Admodum Reuerendo*

P. F. ALBERTO SECOVIO  
SACRÆ THEOLOGIÆ MAG.

F. Abraham Bzouius S. Th. Mag. Ord. eiusdem. S. P. D.



VEM de rebus prouinciae nostræ  
Poloniæ, in medijs curis & estibus  
scripsi Commentarium, hunc  
qua decet submissione, lubens,  
latus tibi offero, dedico, conse-  
croque. Debetur tuæ pietati, re-  
ligioni, prudentiæ, summæque  
quam apud omnes habes virtutis existimationi, quæ  
te in hanc celsam honoris sedem euexit. Debetur &  
tuis in prouinciam amplissimis meritis, quæ tibi fa-  
mam perennant, & inter celites sedem parant. Reor,  
non ingratum erit animi mei hoc erga te symbolum,  
quod & a rebus suis, & a meo in te animo pondus  
habet. Obtuli siquidem, quod tuo iuslu, apud anti-  
quitatem abditum, optimum maximumque pro no-  
stræ prouinciae ornamento reperi. Dedi clarissimo-  
rum religionis syderum, suis radijs illustrem hono-  
ris imaginem, quam in te expressam demiramur  
Nouitas quoque aliqua, forte illud attollet. Nam  
hæc lumina decoraque, e tenebrosis blattis eruere

a 2 aggredimus

aggredimur primi. quorum auspicio & ductu, iter  
est ad pietatem & felicitatem. Satis iam vapulaui-  
a vate.

•diſ. q.

*Agrestes, stolidi, tantumque diurna scientes.*

Infamiam hanc detergo, maiorum instituta & exem-  
pla aperio. Macete pater, hoc animo, hac contentio-  
ne, viam istam Hyacinthi, Ceslai, aliorumque tuo-  
rum & nostrorum Ducum perge; illius zelum am-  
pli sicandæ fidei, horum studium propagandæ reli-  
gio nis purioris, vehementius indidem sequere. Ma-  
gnum erat audere & incipere, tanta quanta pauci  
ante te; at in crepundijs virtutis se semper censere,  
adque maiora semper spirare, hoc perpeti fama, hoc  
immortal gloria dignum. Hanc tibi voueo, hanc  
auguror. Romæ in Aede magnæ Matris ad Miner-  
uam. Kal Maias M D C V I.

PRO

PRO COMMENTARIO  
AD RELIGIOSVM LECTOREM  
PRAEMONITIO,

De Occasione & forma Opusculi.

**L**ATO Philosophorum omnium in Timaeo. sapientissimus, puerilem animum dicebat illis semper inesse, quibus nulla ex antiquitatis commemoratione præscia opinio, nulla cana scientia. De institutis igitur exemplisque maiorum prouincia Polona, quibuscum prudentia, rerum agendarum splendore, vita & que sanctimonia contendere possumus, Commentariolum dare institui volens, nolens. Volens maculam puritia abluere: nolens argumentum imperium, sine duce & luce obscurare, quam explicare. volens tamen ut cunque voluntia superiorum; quibus repugnare, ariolare censem. Quarent hic alij res & facta, locis & temporibus suis, non ad amissim regesta, nec adeo fusa, ut personarum decus illustre poscebat, elogij ornata. Multa hic desiderantur, inquiet, nec pleno calamo promuntur. Affero. Sed non mea hic culpa, Antiquitatis obsoleta, qua mage cœlitibus, quam fluxi iudicij terrestribus, consecratam esse voluit patrum nostrorum perpetem memoriam. Quam tamen reliquit,

liquit, eam ex legibus Commentarij, non hystoria, ab  
scriptoribus haurio & pando. Alij carpent stili ina-  
qualitatem, & centonis instar vinc̄ta & commissa  
esse omnia, dicent. Recte. Nam hac omnia a scri-  
ptoribus priscis. Sed astruenda fidei gratia: Nam  
quod ego eadem narrarem, ecquando mihi vis, aut  
fides? De verbis ipsis (fas dicere) non ea quoque no-  
bis inopia, ut cuiquam supplicemus. Fidei, & pu-  
ritati gestorum litauiimus, ne quisquam, quicquam  
haustum ex vano dicat. Proinde non Aristarchis,  
neque vobis Zoilis scripsimus, sed candidis, natis ve-  
stigia sequi decessorum. Vos adeste, legite. Vobis ego  
Mercurios Euhodios, statuo, qui viam ad summum  
bonum, veramque fœlicitatem, aurea virgula mon-  
strant. hi Choragos virtutum se nobis prestant.  
Age, extergite oculos, semitas iam ab eis tritas, ru-  
tate, calcate, non cespitabitis, non palpitabitis. Ha-  
betis unde exempla libetis, qua vobis omne decus,  
solo cœloque perennent. Valete, meliora date, agite.

# Auctores ex quorum monumentis excerptus Commentarius.

## *Exciſſi.*

Alexander Guagninus.  
F. Bernardus Caſtreñis.  
Bullarium Ordinis Prædicato-  
rum.  
Camillus Balliani.  
Cæſar Baronius.  
Conſtitutiones Regni Polon.  
Ferdinandus Caſtellanus.  
Flauius Blondus.  
Genebrardus.  
Guilelmus Alanus.  
Hilarion Rangonus.  
Ioannes Antonius Gabutius.  
Ioannes Trithemius.  
Leander Bononien.  
Martinus Baron.  
Martinus Cromerus.  
Martinus Polonus.  
Mathias Miechouius.  
Nicolaus Hufſouianus,  
Nauclerus.  
Officium B. Ceslai.  
Petrus Thianen.  
Raphael Volateranus.  
Relatione della Fiesta. Hispánic.  
Stanislaus Orichouius.

Stanislaus Socolouius.  
Vincentius Belluacen.

## *Manuſcripti.*

Acta Capitulorum & Prouincia-  
lium.  
Annales Ecclesiæ Cathedralis Cră-  
couien.  
Diplomata personalia.  
Expeditionum prouincial. lib. an-  
tiq. in fol.  
Fabianus Bircouius.  
Humbertus.  
Ioannes Dlugoffius.  
M.f. vetustiss. in 8. & in fol.  
M.f. pro canonizat. S. Hyacinthi.  
F. Stanislai Lectoris.  
Martirolog. & notæ diariæ Con-  
uentuum prouinciæ Poloniæ  
in eis adiunctæ.  
Priuilegia prouinciæ & Conuent.  
Regesta Pontificum ex Biblio-  
theca Vaticana.  
Resoculis subiectæ.  
Traditiones PP.  
Vota nuncupata.  
Tabulæ appensæ.

# I N D E X C A P I T V M;

## Quæ in hoc Opere continentur.



|   |     |  |  |
|---|-----|--|--|
| E origine Prædicatoriæ Religionis, fundatione, numerorum Conuentuum in Re-gno Poloniæ & Ducatu Si-lesia. cap. 1.  |     |  |  |
| De Apostolis inter gentes, fidei Christianæ propagatoribus; ex prouincia Poloniæ Ordinis Prædicatorum . cap. 2.   | 9   |  |  |
| De Cooperarijs Sancti Hyacintij, Fra-tribus Prædicatoribus inter gentes ex prouincia Poloniæ. cap. 3.   | 14  |  |  |
| De Societate Peregrinantium inter gentes propter Christum, quæ fuerit quo tempore, a quo, qua ratione in-stituta : quid egerit, & quando de-sierit. cap. 4. | 23  |  |  |
| De viris Sanctitate vita illustribus ex prouincia Poloniæ Ordinis Fratru-m Prædicatorum . cap. 5.   | 32  |  |  |
| Archipräfules, & Präfules ex Prouin-cia Poloniæ. cap. 6.  | 49  |  |  |
| Prouinciales vigilantissimi prouincia Poloniæ Ordinis Prædicatorum . cap. 7.  | 54  |  |  |
| Cenfores fidei, & Inquisitores hereti-cæ prauitatis ex prouincia Poloniæ. cap. 8.   | 61  |  |  |
| Viri doctrina eloquentiaque præcipui ex Prouincia Poloniæ. cap. 9.  | 75  |  |  |
| Pater F. Melchior Mciluenfis. S. Theo-log. Mag. cap. 10.  | 77  |  |  |
| Poenitentiarij summorum Pontificum , & a sacris Confessiōnibus Serenifflmorum Principum & Regum Polo-niæ, Fratres ex prouincia Poloniæ. cap. 11.            | 86  |  |  |
| Viri quidam insigniores superstites ex Prouincia Poloniæ ordinis Prædi-cotorum. cap. 12.  | 89  |  |  |
| Res insigniores in Conuento Craco-uensi Sanctissimæ Trinitatis. cap. 13.  | 92  |  |  |
| Itinerarium seu scitu & viſu præcla-  |     |  |  |
| riora in Conuentibus alijs prouincia Poloniæ Ordinis Prædicatorū. cap. 14.  | 95  |  |  |
| Numeris fratrum & prælectionū in Conuentibus prouincia Poloniæ. cap. 15.  | 102 |  |  |
| Priuilegia quædam peculiaria vniuer-sa prouincia Poloniæ a fede Apo-stolica concessa. cap. 16.  | 103 |  |  |
| Indulgencie pro celebratione Capitu-lorum prouincialium prouincia Po-loniæ.   | 105 |  |  |
| Fratres prouincia Poloniæ possunt de licentia prouincialis celebrare Mis-sas extra Ecclesiās.   | 106 |  |  |
| Priuilegia nonnulla confraternitatis Sanctissimi Rosarij, in prouincia Po-loniæ a suprema Petri fede indulta . cap. 17.                                     | 106 |  |  |
| Sectiones & partitiones diuersæ Con-uentuum Prouincia Poloniæ. cap. 18.   | 110 |  |  |
| Decreto Sedis Apostolicæ, in causa Ten-tatæ diuisionis prouincia Poloniæ , execuicioque illorum .   | 111 |  |  |
| Bulla, Alexander Episcopus.   | 17  |  |  |
| Bulla, Paulus Papa Quintus.   | 29  |  |  |
| Bulla, Ioannes Episcopus.   | 62  |  |  |
| Exemplar litterarum Pontificis ad Se-renissimum Reg. Poloniæ.   | 64  |  |  |
| Exemplar litterarum Pontificis ad Pre-latatos Regni Poloniæ.  | 65  |  |  |
| Ad fratrem Bernardinum Ochinum Senensem , Ecclesiæ Matris & Reli-gionis Cappuccinæ defertorem, de-ploratoria Epistola.                                      | 81  |  |  |
| Priuilegium, pro quibusdam processio-nibus, solemnibus , & orationibus instar 40. horarum singulis ferijs sex-tis Quadragesimæ, &c.                         | 108 |  |  |
| Bulla, Clemens Papa VIII.   | 117 |  |  |

F I N I S.

PROPAGO  
D. HYACINTHI  
THAVMATVRGI POLONI,

Seu

*De rebus præclarè gestis in Prouincia Polonia  
Ordinis Prædicatorum.*

C O M M E N T A R I V S;

F. ABRAHAM BZOVII SACRÆ  
Theologiæ Magistri Ord. Prædic.

C A P V T P R I M V M.

*De origine Prædicatoriæ Religionis, fundatione, numeroque Conuentuum  
in Regno Polonie & Ducatu Silesiæ.*



RATRVM Prædicatorum in Prouincia  
Polonie facinora, immortalis laude digna,  
breui compendio, ab illustribus Auctori-  
bus, veridicaque Patrum Traditione delige-  
re decerneti, ab ipso, quod aiunt, ouo, abq;  
incunabulis, initium petere in animo est.

Anno a nato Seruatore Mundi, decimo-  
nono supra millesimum ducentesimum Iu-  
o Antistes Cracoviensis, Romanum concesserat  
ad Honorium tertium Summum Hierar-  
cham; causa recuperandæ dignitatis Archiepiscopalis, quam suus deces-  
sor neglexerat. Ea tempestate Prædicatorum Patriarcha S. Dominicus,  
in vrbe, suprahumanis omnium oculos percellebat factis. Inter quæ,  
Neapoleonem Stephani Cardinalis ex fratre nepotem, equo decussum  
& graui membrorum allusione vita functum, adspectante Iuone, ora-  
tionibus vitæ reddiderat. Fama aliorum, admiratione vero presentis  
miraculi, necnon & Diuinis Sermonibus S. Dominici excitus Iuо, in

cius se necessitudinem insinuat. Ab eo summi precibus contendit, velit felicis instituti sui aliquem Sodalem Ecclesiae sua, Sarmatię, vniuersoque Trioni gelido concedere. Qui luce verbi Diuini, catcas mortalium mentes illustrare ignitaque face sanctimoniae, frigentes, ad amorem Celestium incendere potis est.

Concessisset illico Diuus Dominicus, votis Pontificis ardentibus quæmpiam, si gentilem eius, linguae Polonæ gnarum ad manus habuisset. Hoc destitutus, ex comitatu Iuonis aliquot, nempe Hyacinthum Canonicum Cracoviensem, Ceslaum Canonicum, & Custodis Prælaturam insignem Sandomiriensem, par Illustrissime Odrouansiorum familia decus, nepotes ex Fratre Iuonis Episcopi, Henricum Morauum, & Hermannum Theutonem nobiles, diuino spiritu correpos, illoque Neapoleonis rediuiui spectaculo percusso, Contubernio suo in Conventu S. Sabinæ dignatus est. Hos integro anno, salutaribus præceptis imbuens, ad eum efformauit modum, vt non Tyrones, sed veterani Religiosi, sanctimoniae vitę illustres, zeloque ardentissimo amplificandæ fidei exstantes, ab omnibus suspicerentur & haberentur. Anno exacto sub disciplina S. Dominici ab eodem in Poloniā mittuntur; Summi Pontificis Honorij tertij monitis & benedictione, ad iter, & opus Euangelicum animati. Hi ergo ad populares suos pedestri itinere, qui Carinthiorum fines remeantes, Friesaci, quod eius oræ celebre oppidum est, aliquantis per substiterunt. More suo Diuus Hyacinthus, quam a S. Dominico hausit cœlestem doctrinam, vt alias, alibi repedans, ita apud Friesenses, mira dicendi acrimonia, spargere orsus est. Frequentes quotidie ex illius ore Apostolico pendebat Oppidanis, fructum vberem animatum referentes. Tantum autem suadela sua pone Diuina eos permouit Hyacinthus, plurimi vt illorum, Religioni nuperæ colla submitterent, inque Institutione Hyacinthi, ad summum sanctitatis fastigium breui assurgerent, equibus numerantur B. Ulricus, B. Helgerus, B. Corradus, Friesenses, vt alios innumeros preteream, qui a disciplina Hyacinthi Sanctissimi prodierunt. Mansit eo loci Hyacinthus circiter sex menses, surgentem conuentum numero fratum, & amplitudine ædificiorum valida propterea manu alta petentem, alacer conspiciens.

Erecto Friesaci Religiosissimo Monasterio, nouello gregi filiorum suorum Hermánum Teuthonem præfecit. Et quia illud monasterium ex primis S. Hyacinthi operis fuit, inque Germanię non ignobili parte erectum est, eidem Germanię Prouincię primas ante Poloniā, temporis antecedente contulit, in eadem prouincia semper priori loco habitatum in coordinatione conuentuum.

*Acta capi.  
Bis. 1303.* Cracouiam inde properans, nullibi locorum Concionandi, sacra faciendi, Exomologescosq; officium, intermittebat ad solidas, eternas, que

Fernand.  
Castill.

que voluptates, a fluxis periturisque suos hospites pelliciens. Venienti Cracouiam, effusus Clerus vniuersus, populiq; multitudo innumera, it obuiam, latro applausu ac si Cœlitus demissum Angelum, salutant, complectuntur, exosculantur, & Iuone Antistite sicut Cracouiensi- bus optatum eius aduentum prestatantibus.

Obuijs vlnis excipiunt cuncti, Dominicum admirandum in Hyacin- tho Iuonis nepote effulgentem. Gratulatur sibi Iuo datum a superis Mandre adiutorem, qui non sua, sed Iesu Christi sanguine partas & ab- lutas animas, per auia aberrantes quereret, adque Ecclesiæ caulas redu- cere, toto mentis nisu admiteretur. Offert illi interim Lesco Principe & Clero annuente, Ecclesiam SS. Trinitatis Parochiale pro Domi- cilio. Et ea, vt pote non artibus aut dolis quæsita, non vi, nec astu tru- dere voluit Presbyteros Hyacinthus. Sed toto tempore quo Aedes D. Deiparae augustissima Clero paratur, hæsit cum socijs in curia Episco- pali, in lignea ædicula suis vñibus concessa. In eius adhærente Ora- torio, diuinis officijs, dies noctesque vacabat, pietatis christianæ exer- citijs sedulus insistebat, plurimos Religionis Albo adscribebat, innu- merabiles Christo deuinciebat, concionatoris munere in Aede Princi- pe functus, donec tandem anno Domini. 1223. Annunciatæ salutis die Anna.Crac. solemnij, numero Fratrum non exiguo, quos iam Religioni in ædicula Ecclæ. illa pepererat, stipatus ab Iuone & Clero, Lesco Principe & populo, magno cum animorum oblectamento, in SS. Triadis templum intro- duceretur. Aderat tunc Gregorius Crescentius S.R. Ecclesiæ Cardinalis & sedis Apostolicæ Legatus a latere huic celebritati letissimæ. Eius fa- miliaris & à secretis intimus Iacobus ciuis Romanus V.I. Doctor, sancti- tate Hyacinthi & fratribus eius delectatus, in amorem religionis nouelle exardescens, eidem, extra patriam, extra parentes, in regione longin- quæ, inter gentem nontantum quantum sua est cultam, se deuouet. Togamque Prædicatoriam sine mora induere postulat, talem tantum- que virum, qualis erat Iacobus Legato longe clarissimus, eodem die adscribit suo Cætui Hyacinthus, Principe, Cardinali, Episcopo, omni- busque præ gaudio illachrymantibus. Tanto odore pietatis & religio- nis fragrabat Hyacinthus, dum templo præcipuo in vrbe SS. Trinitatis donaretur. Erat tunc illud templum, ob ligneam structuram, non vt nunc magnificum: venerabile tamen & primarium, propter curam ad- ministrandorum Sacramentorum Cracoviæ, eidem & soli annexam. Hoc Iuo Pontifex, Sancto Hyacintho Religionique Prædicatorum iu- re perpetuo ascripsit & donauit locum spatiösüm pro Monasterio adi- ficando, & copiosam supellec̄t̄ilem templo dicauit. vicuum vestitumq; fodalibus, ex eleemosynis diarijs viuentibus, dietim suppeditauit, a so- lutione quartæ, vt vocant funeralium, alijsque exactionib; perpetuo immunes fecit: dato priuilegio anno dom. 1227. quarto kal. Octob.

Michon. li.

3. c. 32.

Cromer. lib.

7.

Pontificatus sui anno. X. Paraciam vero inde, in templum Virginis Dei Matri, ob id a se constructum, transtulit. Ea Ecclesia SS. Trinitatis, quo tempore parochiali titulo fulgebat, matrix & origo fuit omnium parochiarum; ita cum primum religioni Prædicatoria concessa est, fuit scaturigo amplissimorum, eorumque innumerabilium eiusdem ordinis monasteriorum. Nam exinde complura eidem sodalitati Cenobia, in Polonia condita sunt. Quin Kiioulam quoque & Haliciam (altera earum erat Metropolis Russiæ, secunda vero Archiepiscopali & Regia sede illustris) colonias suas paulo post adduxit. Nec tantum ijs finibus conclusa est, quinimo sub brevi annorum interuallo, totum Regnum Poloniæ, exinde impletum est locis & domibus fratum Prædicatorum: incipiendo ab Alpibus, qui Poloniæ ab Hungaria & Dacia distinxerant, usque ad mare Oceanum, omnes terræ, omnesque sinus, qui mari illo alluuntur, prædicationis illorum sonum mirificum audierunt, & ad optimam frugem redacti sunt. In Boemiam quoque

*Ex offic. B.* Hyacinthus Monasteria inuexit, qui religiosissimos Beatum Ceslaum fratrem vterinum, & B. Henricum Morauum, quos sub annum Dom.

1222. Pragam Metropolim Boemorum destinarat. Qui munificentia

*M. s. pro ca-*  
*noniæ. Cat. S.* Principis & Præsulis, ecclesiam S. Clementis non ignobilem, areamque amplissimam pro monasterio exitando obtinuerunt, seminariumque Cenobiorum & Religiosorum Boemia, Saxoniam, Morauiam, & aliarum circumuicinarum regionum instituerunt. Totis octuaginta an-

*H. Jacint.* nis, Boemiam Conuentibus Prouinciales Poloniæ prelati erant. adusque

*M. s. Acta ca-*  
*pit. Colon.* scilicet annum Christi 1301. quo in Capitulo Generali Coloniæ cele-  
*1301.* brato, a Patribus ordinis diuisi, in duas prouincias partiti sunt. Altera

earum retinuit nomen prouinciae Poloniæ, & locum in dextro choro post Prouinciam Theutoniam. Altera asscuta est titulum prouinciae Boemiam, & locum in sinistro choro, post prouinciam terræ Sanctæ.

*M. s. Acta C.* Propter adeo felicem propagationem Religionis Prædicatoria in Se-  
*Parisi.* ptentrione, inter alias ordinis prouincias, Poloniæ quoque adscripta est in Capitulo Generali Lutetia. 1227. a Beato Jordane Magistro, cæ-  
terisque patribus grauissimis. Interfuisse perhibetur huic congrega-

*Mieczek. ls.* Diuus Hyacinthus, cum B. Gerardo postmodum prouinciali Poloniæ, & F. Martino Sandomiriensi, illo qui grati animi ergo, Beati Iu-  
*3.c. 37.* nis Episcopi secundo peregrinantibus ad urbem, sacras exuvias Mutinæ humatas, de assensu eiusdem ciuitatis Episcopi, Cracouiam usque detulit, inque medio choro Ecclesiæ SS. Trinitatis, honorifice fuñere decorauit anno post decimo salutis 1237. Primo tunc lectus est in Sena-  
tui Ordinis, Diffinitor, vt vocant, Poloniæ, ad definiendum decen-  
nendumque, de rebus ad religionem spectantibus. Catalogus hic est  
Conuentuum prouinciae Poloniæ, ex antiquo M. s. chronico Ordinis,

*Bononiz* in Bibliotheca Secretiori reperto; cum adiecto tempore ere-  
tionis,

Aionis, fundatoribusque munificentissimis, quantum iniuria tempo-  
ris reliquit, aliundè excerptus.

*In Palatinatibus Minoris Poloniae.*

**Cracouiensis SS. Trinitatis.** anno dom. 1223. fundat. ab Iuone Episco- Primit. Ivo-  
po Cracouien. Odrouācio, & Lesco Albo Principe Polonię. nis.

**S. Egidij domus Cracouien.** a Generoso D. Felice Czerski Iudice ter Bulla Gre-  
rarum Cracouien. & Ioanne Comite de Tenczyn, oblata, & decre <sup>go XIII.</sup>

**to Gregorij XIII. Pont. Max. Conuentui SS. Trinitatis, cum om-**

**nibus bonis per Bullam, ex controversia incorporata.**

**Sandomirien.** S. Iacobi extra muros, Conuentus ab Iuone Episcopo Cra Crem. lib 7.

**couiēn. ex derelictis Adleidæ sororis Lesci Principis, circa annum**

**dom. 1224.**

**S. Mariæ Magdalenaæ domus Sandomirien. intra muros. a Lesco Albo**

**Principe Polonię, sub idem tempus.**

**Lublinensis S. Stanislai Martyris Conuentus.** a Cazimiro Magno Re- Micchon 6

**ge Polonię. anno dom. 1342. fundatus.**

**Petricouensem S. Dorotheæ Conuentum,** Cazimirus Rex Polonię ere- Micchon 6  
4. cap. 21.

**xit, & supellestili, Ecclesiæ & domus vsuaria, abunde ditauit.**

**ann. dom. 1370.**

**Opatouicen.** Thomas Abbas Tinecen ad instantiam Principis Lesci Ni- Idem 4. sup.

**gri, in oppido sui Cenobij fundauit, & nonnullos agros fratribus**

**pro prædio, & cultura dedit anno dom. 1282.**

**Osuiecimen.** S. Crucis Ioannes Dux Osuiecimen. cum Eufrosina Con- M. f.

**forte, paulo post Cracouien.**

**Bochnen.** SS. Virginis Heduigis Regina Polonię Ludouici Regis Hun- M. f.

**garie F. ad instantiam Ciuium Bochnensium, intercedente Gre-**

**gorio XI. per litteras missas Episcopo Cracouien. sub annum do-**

**min. 1375. tempore Ioannis Bręgen. Prouincialis.**

**Smigroden.** SS. Virginis. Illustres Domini Stadnicij, suasu & iussu Io- 1

**annis XXII. Pót. Max. cuius in eā rem diploma extat in Archivis**

**prouinciae. Is Conuentus, nouiter per Magnificum D. Andream**

**Stadnicium restauratus, possessionibusque nonnullis & censibus**

**auctus est.**

*In Ducatu Silesiae superioris & inferioris.*

**Vratislauensem S. Adalberti.** erexit Laurentius Episcopus Vratisla- 1

**uen. ann. dom. 1223. primus qui præcerat Conuentui fuit B. Ce-**

**slaus frater & Socius S. Hyacinthi.**

**Ratiboriensem S. Iacobi.** Dux Opollien. & Ratiborien. Vladislaus cum Prinsleg.

**matre**

matre Vigiola, & fratre Miescone, olim suauis Innocentij quarti Pont. Max. & fama sanctitatis D. Hyacinthi permoti, inchoatum solemni ritu dedicarunt. Thoma Episcopo Vratislauien. Comitibus & Palatinis atque nobilibus multis praesentibus. anno. do-  
min. 1258. 18. Kalend. Maij.

**Privilieg.** Opoliens. S. Georgij & Adalberti. Vladislaus alter Dux Opoliens. ann. 1399. adiuncta villa Lubostice dotauit Ioannes & Ludouicus Du-ces Opoliens. alijs bonis auxerunt.

Suidnicen. Conradus Dux circa tempora S. Hyacinthi.

Glogouien. Duces Silesiae.

Opauiens. S. Venceslai. Nicolaus Dux Opauie. anno. dom. 1291. kal. Septembris Ecclesiam consecravit Ioannes Episcopus Olomucen. Legatus de Latere. ann. dom. 1336. in festo Omnim Sanctorum. In ea Nicolaus Dux vna cum fratre suo quiescit.

\* Boleslauien.

Miechou li. \* Leuinen. 1382.

4 cap. 72. & \* Bregen.

lib. 3. c. 58. \* Legnicens. Boleslaus Caluus Dux, in eoq; sepultus. 1278.

\* Theffinen. Præmislauis Dux reparauerat ibi. sepult. 1477. J

Duces Silesiae

} desolatiab  
hæreticis,

### *In Maiori Polonia & Palatinatibus eius.*

Miechou li. Posnanensem Conuentum S. Dominici, Paulus Episcopus Posnanien.  
3 ca. 36 &  
43. de consensu sui capituli, primum in oppido iuncto Cuiatati, dicto Srodelea, ad Ecclesiam S. Margaritæ fundauit, anno dom. 1231. 11. kal. Nouemb. Præmislauis tandem Dux Maioris Poloniae, cum fra-  
tre suo Boleslao, consentiente Bohuphalio Episcopo Posnanien.  
inde transiit, in ciuitatem ad Ecclesiam Parochialem S. Go-  
thardi, quæ successu temporis a nobilibus & ciuibus reedificata,  
S. Dominici nomen & titulum accepit.

Miechou li. Siradien. Cazimirus Dux Cuiauen. Lancicien. & Siradien. circa an-  
num. 1260. accitis fratribus ex conuentu Cracouien.  
3. c. 36.

Bresten. Idem Princeps Cazimirus fundauit, & in eo fratres ex conuen-  
tu Cracouien. collocauit, supellestili varia pro sacrario & offici-  
nis abunde dotauit. sub annum domini 1264. .

\* Vronecen. desolatunt hæretici.

Zenenen. Archiepiscopi Gnesnen.

Costenen. Ciues ipsi anno dom. 1410. de beneplacito Bonifacij PP. XI.  
Albertus Episcopus Posnanien. eius Ecclesiae, angularem lapidem  
iecit. Andreas Episcopus Theodosien. suffraganeus Gnesnen. Ec-  
clesiam sub inuocatione S. Mariæ Magdalena consecravit. nostro  
tempore, Mathias a Costen Presbyter, gratus beneficiorum quos  
pauper

pauper olim, stipemque mendicans a Conuentu receperat, multo argento ad usus sacrarij, apparatu diuite & raro pro Ecclesiastico ministerio, necnon & libris Ecclesiasticis cōscriptis sumptibus maximis, demum & consensu perenni empto pro victu, & amictu fratrum, amplificauit. Functus officio procustodis Sararij Ecclesiae Cathedralis Cracouien.

Sreden. Domum F. Ioannes Episcopus Chelmen. a Ladislao Iagellone Rege Poloniae accepit.

*In Ducatu Masouie, Palatinatibusque eius.*

Plocen. S. Dominici. Conradus Dux Masouie. 1234.

SS. Trinitatis. Idem Conradus Dux. 1244. fundavit, illicque fratres ex Conuentu SS. Trinitatis euocauit. Alexádra soror Ladislai Iagellonis Ducissa restaurauit, & copiosa atque pretiosa supellecțile sacrarij ornauit 1405.

Lancien. Cazimirus Rex Poloniae edificauit; eidemque calices, Cruces & libros, iuxta magnificentiam Regiam donauit anno 1370. aduocatis fratribus ex conuentu Cracouien.

Vracen. S. Stanislai. Troidenus & Boleslaus Masouie Duces ann. 1279. Primileg. Semouitus Dux, prouentus ex Theloneo addidit.

Sochaczouien. Duces Mazouię.

Louicien. Nicolaus de Curoro Archiepiscopus Gnesnen. circa annum dom. 1400.

Ianouien. Stanislaus Gomolinski Episcopus, Luceorien. ann. 1602.

Varsauen, S. Hyacinthi F. Albertus Secouius prouincialis, ex eleemosynis piorum erigit. Generosus D. Christophorus Szymanoroski, villa dicta Seroki auxit. Ceptum opus anno domini 1603. Prid. Kal. Iunij. In oratorio extemporaneo Diuina officia absolui inchoata. Quinto non. Nouemb. anno. eodem. Lapis primarius in fundamenta Ecclesie nouæ consecratus & coniectus tertio Kalen. Martij 1. Dominica Quadrag. anno. 1605. ab Illustrissimo D. Laurentio Gosliki Episcopo Posnanien. Primus qui Domui & Conuentui indignus præfuit, F. Abrahā Bzouius, peccator infirmus.

*In Ducatu Prusiae & Palatinatibus adnexis.*

Gedanensem S. Nicolai. Suentopelcus Dux Pomeranię, de consilio & consensu Michaelis Vladislauien. Episcopi. anno. domin. 1227. die 20. Ianuar.

Culmen. Hermannus a Salicen. Magister Ordinis Teutonicorum, Iusu eiusdem Michaelis. 1228.

Thorunen.

Miech.lib.3. Thorunen. Hanno de Saygerhausen, septimus magister Prussiae. quarto non. April. 1263. super fluuum Balca fundauit. pro dote conferens fratribus libertatem piscandi in omnibus, fluuijs lacubus & stagnis.

*Idem lib. 3.* Dersouien. SS. Virginis. Msczugius Dux Pomeraniae. 8. Kalend. Maij. 1289. concedens fratribus in toto suo Principatu ligna scinden. & lapides seccandi, necnon in flumine Vistula piscandi, & nauolum non soluendi, licentiam.

\* Caminen. Suentepelcus Dux Pomeraniae 1224. } desolarunt hæretici.

\* Elbingen. Magistri Prussiae. }

### *In Magno Ducatu Lituaniae.*

Vilnensem S. Spiritus. Alexander Rex Poloniæ. ann. 1501.

Seinen. S. Hyacinthi. Magnificus D. Georgius Grodzinski, omnibus bonis suis acquisitis Conuentui & Ecclesiæ relictis. 1603.

Mercen. S. Hyacinthi Oppidani & nobiles quidam erigunt. 1605.

### *In Ducatu Russiæ & Palatinatibus adiunctis.*

Cromer. lib. \* Leopoliensem Corporis Christi.

7. Miechow. \* Iaslouen. SS. Virginis.

lib. 3. c. 36, \* Kijouien.

\* Halicien. 1238. Fratres e Polonia accepterunt, a Tartaris exustus est.

\* Camenecen.

\* Mosticen.

\* Rubei Castri. Hi sex dempto Halicien. a Provincia seiuncti nuper a fœl. rec. Papa Clemente VIII. in nouam Congregationem in Russiae 1394. erecti sunt, extincto titulo Provinciae a quibusdam affectato.

*Privilegia.* Præmislien. SS. Deiparae Mariae. Fideles circa tempora S. Hyacinthi. Belsen. Semouitus Dux Masouia. 1394.

Luccorien. Alexander Vitoudus M. Dux Lituaniae cum Ladislao Jagellone fratre Rege Poloniae. 1393.

Volodimirien. Alexander Dux Mag. Lituaniæ postmodum Rex. Poloniæ. 1497.

Colomien. Ladislaus Rex Poloniæ, de consensu Matthie Episcopi Præmislien. 1413.

Samborien. Relicta Elisabeth Spitionis Palatini Cracouien. de assensu eiusdem Matthie Episcopi. 1406.

Succamien. Petrus de Cedron. circa annum dom. 1476. Acceptarunt illum Patres in Capitulo Sandomirien. ann. 1477.

Hroden.

Fideles, temporibus S. Hyacinthi, erexerunt, successores ex concessione Gregorij XI. Lepoliensi, pagos adiecerunt. D. Nicolaus Iazloucius Capit. Sniatinen.

**F**rodlen. Lādislaus Dux Masouiae, ex confirmatione Cazimiri Magni Regis possessionibus ditauit. ann. 1476.

**H**rubieslouien. Frater Ioannes Episcopus Chelmen. recepit, a Ladislao Iagellone Rege Poloniae, circa annum dom. 1416.

Smotricen.

Treboulen.

**L**ancuten. Domini Stadnicij, ijdem hæretici desolarunt.

**S**ororum Claustralium Posnanien. S. Catherinę Monasterium Pr̄emislaus *Miechou.* li. Dux maioris Poloniae, fundauit. anno dom. 1283. eidemque tres vil- 3. c. 61. las in dotem donauit.

**S**ororum Claustralium Rethiborien. S. Spiritus. Pr̄emislaus Ratiborien. & lib. 4. c. 22. Opauen. Dux fundauit ann. 1236. proque dote villas Ducales, mo- & ante c. 3. lendina, & plures libertates dedit B. Euphemia, Domicilla Princeps soror, eiusdem ordinis, oppidum Iauorono cum septem villis, pro eodem monasterio, ratione dotis debito sibi emit. Ecclesia hęc insig- nis ē sepultura Ducum Ratiborien. & huius Beatae Virginis Eu- phemiæ, de qua inferius. De Pr̄emislawo Duce hęc Miechouius. In eo- dem Monasterio sepelitur Dux Pr̄emislaus, ann. dom. 1293. tali vi- sione recreatus. Deuotissimus erat Beato Stanislao Episcopo Cra- couensi, cui in extremis laboranti apparuit, monens ipsum ut se ad festum eius celebrandum pr̄epararet, & cereum album, excedentem staturam eius, prout quotannis consueuerat, a Castro in monaste- rium deferret. Et illo interrogante, quomodo id faciam, cum sim valetudinarius. Sanctus Dei respondit. Ego te adiuuabo. Mor- tuus in profecto ipsius, creditur intercessione eius adiutus esse apud altissimum.

**S**ororum Claustralium Vratislauien. Duces Vratislauien.

Cracouien.

**S**ororum Tertij habitus Vratislauien. Pr̄emislien. } Ciues & Nobiles Plocen. } plerique. Posnanien.

## C A P V T   S E C V N D V M.

*De Apostolis inter gentes, fidei Christianæ propagatoribus; ex prouincia Poloniae Ordinis Predicotorum.*

**N**OS quia iam originem & quasi cunabula quædam prouin- cia Poloniae patefecimus, actus illustres maiorum nostro- rum persequemur. Inter quos primi sele offerunt gentium Apostoli & Saluatores, quorum præcipuum fuit studium, Barbaras efferasque nationes in castris Satanæ militantes, spredo unico creatore Deo, idolis sacrificantes, pietatique furenter adver- santes, Christo lucrifacere.

b      Sanctus

**Nicolaus  
Hussorius-  
nus in lib de  
vita & mi-  
raculis s.  
Hyacinthi.** Sanctus Hyacinthus prouinciae Poloniæ conditor, non me præterit, cni Principatum hoc in genere laudis assignari oportet. Nescio, aiebat quidam, an cuiusque in hoc regno, maiora eius meritis extent, qui doctrina, exemplis, miraculis, & maximis suis laboribus, rem Poloniam in Christia nitate, non satis tunc adulta, idolatriæ plena, ritibus monstrosis, non tantum vicina sed & ipsa infecta, ita stabiliuerat, ita in fide Christi firmauerat, vt in omnibus statibus, altissimæ virtutis exempla inuenirentur. Quid fieri potuit Boleslao Pudico Cracoviensi; Quid Colomanno Halicien. Duce absolutis? qui tempore Diui Hyacinthi, in ætate florentissima, in turbido diuinarum, & magna potentie strepitu, habentes ex regia stirpe coniuges, vt genere ita forma insignes, suam & ipsarum perpetuam virginitatem seruare, & hæredibus mori, quam illecebris duci mundaris maluerunt. Tantum illius doctrina & sanctimonia profecere. Nec tam suo tempore, quam toti posteritati Diuus Hyacinthus robur ingenerauerat. In horrenda enim rerum vertigine, in que miserrima temporum conditione, quæ mortem eius secuta est, tam firma fuit religio, diuinus cultus tam freques, & seruens, vt tum quoque Sancti viri, Sanctæ sceminae, & Sancte virginies, maxima etiam edentes miracula non decesserent. Tantum Diui Hyacinthi doctrina, in omnes Regni, partes diffusa, constantia dabant. Hec Hussorianus de Hyacintho.

Quæ omnia quando, & qua ratione Diutus Hyacinthus præstiterit, opere pretium est scire. Et in primis quidem, memoriæ proditum est, quod Sancto Hyacintho tantum desiderium, non solum obseruandæ, sed etiam amplificandæ fidei christiane fuit, vt eam sudore fere sanguineo, laboribusq; immensis, non solum defenderit, verum etiam magna Asia & Sarmatiæ Aquilonaris parte peragrata, mirifice propagarit, sublataque spurcissimum Dæmonum & idolorum cultura, ipsam veri Dei agnitionem, pietatis & religionis amorem, mentibus humauis infuerit. tantaque pro dilatazione fidei gesserit, merito vt in gloriosum Apostolorum chorum referatur.

Officio prouincialis defunctus, cui sponte ex humilitate in Capitulo Parisino cessit, ad maiora semper aspirans, de Ruthenis, Dacis, Moschouitis & Tartaris, alijsque vel schismate præcisus, vel idolatria ab alienatis, conuertendis, magis ac magis cogitare cœpit. Russiam igitur ingressus, partim Præmisliensibus, partim Leopoliensibus, partim Haliciensibus, deinceps, & Liuonienibus insuper & Valachis, Moldauis, Peloponnesique populis, tam ipse quam per fratres submissis concionari cœpit, magnos vt fructus laborum suorum referret. Breui temporis spatio, Danielem Principem Ruthenorum, ad vnoniem Ecclesiæ amplectendam permouit. facile vt postmodum, a Gregorio IX. Pontif. Maximo, regium diadema promeretur. Colomannum cum Salomea Duces Haliciæ, vot o perpetue continentia seu virginitatis illibatae se adstringere induxit. Archiepiscopum Haliciensibus vnum ex suis B. Bernardum, sicut & alijs, B. Gerardum, pri-

mum

num Episcopum Ruthenorum ab eodem Gregorio IX. praefectum aspe-  
xit. Tartarorum quendam Regem, vna cum procerum ipsius maxima  
multitudine domi fidem edocetos, a fratribus illius & quibusdam ab ordi-  
ne S. Francisci, ad Concilium Lugdunense, baptizandos transmisit. Pa-  
leologum Constantinopolis & totius Orientis Imperatorem, post  
decimum tertium schisma, ad unionem ineundam Ecclesie orientalis  
cum occidentalib[us] ad idem Concilium per fratres suos impulit. Argumen-  
tum huius rei sunt plenique Innocentij IIII. ad prouincialem Polonię,  
liter quibus ei subsidium Imperij Constantinopolitani delegatur &  
mittitur. Primum vero Gregorij Noni, qui auctoritate Apostolica prouin-  
ciali Polonię iniungit & præcipit ut fratres zelo Dei incensos dirigant ad  
conuersione Ruthenorum schismaticorum & idololatrarum. Iisdem,  
fratribus prouinciae Poloniae in Russia prædicantibus plurimas gratias &  
privilegia indulget, inter quæ, in litteris quarum initium est. Dilecto filio In biblioth.  
Priori prouinciali Poloniae & fratribus ordinis Prædicatorum commoranti-  
bus in Russia. Ut fidei nostræ puritas &c. Dat. Anagniæ Idibus Martij. Vaican Re-  
gij. Bullar. Greg. Papa IX. 1.

Pontif. ann. 6. concedit, omnibus qui ad solemnum prædicationem eorum-  
dem, quamdiu fuerint in Russia, accesserint, possint quadraginta dies in-  
dulgentiarum, de iniunctis pœnitentijs relaxare. Item pauperes, debiles,  
infirmos, in Russiæ partibus constitutos, qui propter incendium vel vio-  
lentam iniectionem manuum in Clericos seculares, vel regulares, in cano-  
nem sententiaz latæ, inciderunt, nec ad sedem Apostolicam accedere pos-  
sunt, dummodo damna & iniurias passis resarcierint, facultatem absolu-  
uendi. Et quia intellexerat, plurimos Clericos, & Apostatas vagos ab or-  
dinibus, fratribus prædictis Euangelizantibus inter gentes Ruthenas, plu-  
rimum infestos esse, propter quod verendum erat, ne ipsorum exemplo,  
nisi eorum reprimerentur excessus, alij religiosi in similem deducerentur  
errorem. Iisdem prouinciali & fratribus, concedit authoritatem Aposto-  
licam contra tales procedendi. datis alijs litteris eodem anno & loco, qua-  
rum initium est. Ex parte coram. &c. Perceperat, deinde, ipsos Duces Chri-  
stianos Poloniae, inter se digladiari, socialiaque arma in inuicem exerere.  
aduocatis in subsidium Saracenis & Ruthenis, inimicis ecclesiæ catholi-  
cæ, qui ecclesiæ diruebant, & horribilius quam deceat exprimi, SS. Domini  
corpus tractare non verebantur. ideo monet prouinciam Polonię, ut  
prædictos Duces ad pacis & concordiaë gratiam reducere satagat, neque il-  
lis permittat, eiusmodi subsidia bellii aduocare. Sin pergant odijs certare,  
Sarracenosque & Ruthenos vocare; per censuras & pœnas ecclesiasticas, ap-  
pellatione omni remota, cogat his abstinere. Initium litterarum est. Sibi  
graues, & molesti proximis esse Duces Polonię referuntur &cæt. Anagniæ.  
3. Kal. Martij. Pontif. ann. 6. Idem summus Antistes Gregorius. IX. recrea-  
tus conuersione horum infidelium, datis ad eos, Reate quint. Id Junij,  
Pótificatus anno 6. litteris Apostolicis plumbo signatis, miris laudibus ef-

B

Vide infi-  
ans.In biblioth.  
Vatican Re-  
gij. Bullar.  
Greg. Papa  
IX. 1.

2.

3.  
Gregor. IX.  
Bulla.

4.

fert promptitudinem obedientiae fidei Ruthenorum. Initium earum est. Quid praeiij mereatur obedientia fidei. Authrographum illarum seruat in archivio prouinciae.

Rutheni a Diuo Hyacintho Christo Ecclesiisque sub id tempus feliciter subacti, cum intelligerent, multum sibi ad dignitatem atque utilitatem conducere posse, si ad instar aliarum prouinciarum, ad formam vnius Ecclesiaz redigerentur, absque uno Pontifice dirigerentur; suplices ab eodem Gregorio IX. flagitarunt sibi prefici Preesulem aliquem vitaz sanctimonia & administrandaz Ecclesiaz fide & dexteritate insigniem. Gregorius novus postulationem eorum lubens audiuit & quia res maximi oneris & momentifuerat, Iacobo prouinciali & F. Domaslae Ordinis Prædicatorum (nam S. Hyacinthus regimini prouincie cesserat, conuersioni gentium intentus) prouinciaz Poloniaz committit auctoritatem inquirendi statum, circumstantiasque gentis & regionis Ruthenorum, cæteraque omnia quæ ad creationem Episcopi spectare videbantur. Datis ad eum literis sub plumbo. Inter annæ quarto Kal. Maij. Pontificatus anno 6. quarum initium est. Significante dilecto filio Gnezenensi electo &c. Qui re diligenter ex commissione Apostolica considerata, omnibusque ad Episcopi inaugurationem & Dioceseos distinctionem pertinentibus exploratis, totum Summo Pontifici retulerunt. Is F. Beati Gerardi, nuper prouincialis, probitate & acerrimo zelo perspecto, genti Ruthenorum, primum illum prætulit Episcopum. Quem antequam præfecisset, prouinciali & fratribus ordinis Prædicatorum prouinciaz Poloniaz, facultatem amplissimam concessit. Causas matrimoniales in Russia emergentes discutiendi, matrimonia non rite contracta dirimendi, inhibendi, dispensandiique a peccatis enormioribus sedi Apostolica reseruatis, Ruthenos absoluendi, auctoritatem eidem cum fratribus elargitur, diplomate suo, quod incipit. Quæque nobis erronea displicant &c. dato Anagniæ. sexto kal. Martij. Pontif. anno.

6. Christi. 1232. Sponte incitato Diuo Hyacintho, fratribusque eiusdem, prouinciaz ad conuersionem gentium, additum est aliud calcar, a Gregorij noni successore Innocentio quarto Pontif. Max. Qui primo Pontificatus sui anno, Dominice autem incarnationis 1242. prouincialem Poloniaz, fratresque eius curæ subiectos Ordinis Prædicatorum, pro officio pastoriali, ad Ruthenorum aliarumque nationum Barbararum conuersionem horatur & transmittit, datis innumeris Priuilegijs, gratijs, indulgentijs, exemptionibus & immunitatibus. Literarū ad Prouincialē datarum sub plumbō 11. kalend. April. Pontif. anno primo initium est. Patri lumenum &c. Laterani anno. 1242. cum facultate amplissima absoluendi defraudantes subsidia Imperij Constantinopolitani, per literas datas Lugduni Idibus Febr. Pontif. anno 3. Comittit quoque prouinciali Poloniaz negotium, colligendi ex eleemosynis subsidia, pro Imperio Constantinopolitano a Saracenis defendendo cum promulgatione potestateque imponendi indulgentias.

M. f.  
B. Gerardus

I. Episcopus.  
Ruthenoru.  
Miechou pu-  
zat esse Ci-  
sterc. sed hal-  
lucinatur :  
nam M. f.  
antiq. prouin-  
zia liber or-  
dinis Pradi-  
catorij esse  
asserit.

6.  
Innoc. III.  
Bulla

2.  
2.

gentias quæ pro subsidio terræ sanctæ , distribui solent præcipue quoque ex fænore acquisitis pecunijs,dum is non reperitur , cui restitutio fieri debat. Extant duo diplomata eius commissionis plumbo signata. in Archivio prouinciaæ. Alterum habet initium. *Inter cætera desiderabilia cordis nostri.* Lugduni quarto Kalen. Octob. Pontificatus anno tertio. Alterum quoque incipit. *Cum tibi in virtute obedientia.* Lugduni 10. Kalend. Ianuarij. Pontif. anno quarto.

Hortatur deinde & iubet, priorem prouincialem Poloniæ, velit fratres, qui opportuni essent ad conuersionem Liuonum & Prutenorum, iuxta ait, formam quam fel. rec. Gregorius Papa prædecessor noster, & nos etiam tibi olim tradidisse dignoscimus, in dies mittere. datis literis sub plumbo. quarum initium est. *Pro negotio fidei, quod in Liuonia & Prussia partibus agitur.* &c. dat. Perusij idib. Ianuarij anno nono.

Postremo ad negotium Prædicationis fidei, Ruthenis, Scythis, & alijs Orietalibus, vrget eundem prouincialem Poloniæ ordinis Prædicatorum, per literas, Datas Assissij sub plumbo 10. Kalend. Augusti, Pontificatus anno. i. 1. quarum initid est. *Cum hora diei undecima* quibus omnibus, & in primis, vocationis suæ memoria permoti, quantum pro dilatatione fidei in partibus Orientalibus, & Aquilonaribus laboris & solicitudinis impenderint, indicio est primum, quod idem Pontifex, primum Episcopum Lituanis, non nisi discipulum S. Hyacinthi Beatum Vitum, Liuonibus etiam primum B. Mainardum eiusdem disciplinæ concesserit.

Indicio est deinde, quod fratres Apostolico hoc munere tunc apud Barbaros fulgentes, amictu peculiari, Cardinalibus S. Romanæ Ecclesiæ tunc proprio vtebatur. Idem enim Innocentius quartus Pontif. Max. qui Roma næ Ecclesiæ Cardinalibus pileum roseum concessit, fratribus prouinciaæ Poloniæ inter gentes peregrinantibus indulserat, vt rubeo quoque gale-ro, rubeis scandalis, ocreis & chirotecis rubeis, caput, manus & pedes tegerent. Visebantur nostro quoque tempore, pleræque fratrum imagines in Conuentu Leopoliensi antiquitus, artificio non vulgari, ad eum modum depictæ: nuper etiam in sepultura quadam abdiiore, frater quidam, a multo tempore humatus, talibus vestibus seu ornamentis rubescens imputris repertus est. Hoc enim purpureo capitis ornamento, significabant legati Apostolici fratres Prædicatorum prouinciaæ Poloniæ, mortibus deuota gestare capita, igneq: ardentissimo exstuaré, ad preparationem Euangelij pacis.

3.

4.

5.

6.

*Votular. lib.  
22 Genebr,  
lib. 4.*

*De Cooperarijs Sancti Hyacintij, Fratribus Prædicatoribus inter gentes, ex provincia Poloniae.*

T olim Moysi spiritum, in septuaginta seniores Deus partitus est, pro administratione Republicæ ex gentibus selecte. ita Hyacinthi quoque gratiam deriuari voluit in discipulos ipsius, pro utilitate gentium. Crescente numero Fratrum, succreuit in plurimis zelus vulgandi Euangelij apud eos, qui

*B. Anselm.* bus nondum fuerat annunciatum. Inter eos, proximus occurrit Hyacin.  
*B. Alexan.* tho, Beatus Anselmus, cum B. Alexandro, B. Alberto & B. Simone anno  
*B. Albertus* Domini 1245. ab Innocentio quarto, ex Concilio Lugdunen. ad magnum  
*B. Simon.* Cham Tartarorum Principem ceterasque barbaras nationes Christo de-  
*Naucle.* uinciendas transmissas. Quidam enim Tartari proceres religionem Chri-  
*Gen 42.* stianam a fratribus prouincie Poloniæ ante domi edocti, Lugdunum ad  
*Flau. Blon.* generale Concilium vna cum Rege suo venerant, nouum spectaculū mun-  
*Martin. lib.* do, ingentisque letitiae materiam patribus prebentes, sacro baptisme ab-  
*2. cap. 1.* luti sunt a Summo Pontifice Innocentio quarto. Horum precibus fati-  
*Fernand.* gatus Pontifex; nupera etiam clade Poloniæ & regionum viciniorum a  
*Castil.* Tartaris alijs, nondum Christiana fide imbutis adactus; si quomodo barba-  
*Li. 7. Geneb.* rorum animos verbi Diuini suavitatem demulcere, atque a cedibus auerte-  
*Vinc. lib. 13.* re posset, recetem operarium Anselmum Legati a latere officio ornatum,  
*cap. 91.* vna cum ijs sodalibus, & aliquot etiam ex ordine S. Francisci, eis submisit.  
*ea* Qui multum quoque glorie, acquisierunt, quod Hyacinthum in prædica-  
*tione Euangelij imitari valuerunt. Innumerous siquidem, laboribus im-*  
*mensis exantatis, Christo nomina, fidemque dare coegerunt. Refert Ga-*  
*gneus apud Genebr.* quod Dico Ludouico ad Cyprum cum classe appellanti, ann. dom. 1249. occurrerunt Tartari quidam, ab Erchaltao Princeps  
*tum literis missi;* ex quibus cognovit Cham Tartarorum Imperatorē, Chri-  
*sti fidem, anno ab inde tertio recepisse, & baptizatum fuisse, cum magna-*  
*Vinc. lib. 13.* tum & plebis multitudine maxima, instructumque habere militē, quem  
*ea* in fidei hostes duceret. Literarum ipsarum exemplar, a Legatis exhibi-  
*tarum, superest apud Belluacensem.*

Tandem in Persidis intimos sinus Anselmus secundo penetrans, dum idololatras ab idolorum cultura auertit, multis perlatis pro Christo cru-  
*Martin. B. a-* ciatis, vitam cum sanguine simulcum socijs profudit. Visitur a Mar-  
*ron. in Icon.* tino Barone, Iconæ Beatisimæ Virginis Claromontanæ adscriptus, cum  
*Czeſtlockom.* ea nomenclatura B. Anselmus ordinis Prædicatorum, F. Ioannes de Plano,  
*Roma excus.* & F. Benedictus ordinis S. Francisci, Nuntij Apostolici in Perside, multa  
*F. Henricus* pro Christo passi, & alij pro Christi fide occisi.  
*Archiepisco* Ne fratriis quidem Henrici (qui olim Albertus Armacanus, cum Reli-  
*pus Culme.* gionis

gionis togam sumpsit, vocabulum Henrici adeptus est) ex Prouinciali Poloniæ, ex speciali prærogatiua, & benignitate sedis Apostolicæ Archiepiscopi Culmensis, memoriam ab his separare debemus. Qui ab eodem Innocentio Pont. Max. dignitate Archiepiscopali ornatus, anno 1249. tanta animi virtute Danielis Ruthenorum Regis, & Mendegonis Lituanoru[m] Principis, ijsque subiectarum gentium conuercionem ad fidem Christianam, Pontificio iussu curauit, vt Mendegonem Christi latice sacro ablueret, inque Regem Lituanorum sacro oleo inungeret, diademateq[ue]; & alijs Regis insignijs redimiret: Daniele Russiae Rege, s[ecundu]m ad vomitū redeunte, Apostolicæ fidei desertore, quænas Apostasias meritas in sua temeritate luente. Idem Henricus, cum Præmisla Boemie Princeps, contra Barbaros in Prussiam, cum alijs Crucis signatis descendens, in Prouincia Sambiensi, Prutenos deditio[n]em facientes, Christi dogmate instruebat, salutibusq[ue]; aquis perluebat anno Christi 1255. Inter alios quoq[ue]; Regni Præsules, ad Synodum Vratislaviensem. iussu Pontificis Clementis Quarti, per Guidonem tit. S. Laurentij in Lucina Cardinalem Legatum a Latere, coactos, Fr. Henricus Culmensis, Cruciatæ, vt vocant, pro subsidio terræ Sanctæ indictæ subscriptis anno 1267. omnemq[ue]; lapidem mouet, Crucis Christi contra Barbaros prædicandæ adjunctis sibi fratribus Prædicatoribus prouinciæ Poloniæ, ad eorundem infidelium Prutenorum illustrationem, quos iam Urbanus Quartus Pont. Max. ad id munus obeundum destinat, per literas datas Viterbij x. Kal. Ianuarij Pontificatus anno I. quarum initium est. *Inter multa discrimina.* Autographum illarum est in Conuentu Thorunen. Ex literæ redditæ sunt fratribus, per Anselmum Episcopum Varmiensem Apostolicæ Sedis Legatum, insertæ suo instrumento publico, in Brod, anno Domini 1263. pridie idus Martij. Quantum opera illic fratres prouinciæ Poloniæ impenderint, religiosissimæ olim Prussiæ & Liuoniæ, templo innumerabilia magnifico sumptu elata, monasteria virorum & virginum erecta & ditata, ad diuini cultus splendorem & ornatum vasa aurea, & argentea, nullibi terrarum, vt apud Prutenos & Liuones, opere, materia, pondere & numero multiplicata, testantur. Tanto ardore illi exceperant semina vitæ, sparsa a fratribus Prædicat.

De eodem quoque Henrico refert Miechouius, quod in die festo B. Mariae Magdalene 1251. Ecclesiam suam de seculari, cum esset Frat. ordinis Prædicatorum, tunc Episcopus Culmen. in regularem transtulit, & Collegium Canonorum regularium, in illa, mensam, domicilium & bona temporalia in communi habentium constituit. & paulo infra. Non contentus, inquit, Henricus Fr. ordinis Prædicatorum Culmen. Episcopus, quod suam Culmensem Ecclesiam, in regularem Canonorum regularium S. Augustini transtulisset, iterum illam in Cruciferorum ordinem, ad instantiam Magistri & Cruciferorum transmutauit consentiente & gratificeante Anselmo Varmien. Episcopo Apostolicæ Sedis in Prussia Legato 1264.

Eiusdem

Miechou. li. 3.  
c. 51. § 3. 56.  
§ 57.

Urbanus IIII.  
Pont. Max.  
lit. ad Prio-  
res Prouin-  
Polonia per  
Boemiæ, Mo-  
rauianam, Lu-  
sioniam, Cie-  
roniam &  
Prussiam, ac  
per Rigen.  
Gnothen. &  
Salcburgen.  
Prouincias  
degentes.

B. Vetus 1.  
Episcopus Li-  
tuanorum.

M. S. & Crô-  
lib. 9.  
Miechow. li.  
3. c. 52.

Eiusdem temporis & virtutis Beatus Vitus ordinis Prædicatorum, a sa-  
cra Confessionibus Boleslai Pudici Principis Poloniae, strenuam cū Hen-  
rico alijsq; gestis operam, in Lituanorum gentilium conuersione. Quam-  
obrem ab eodem Innocentio Quarto, eidem genti recens per eam bapti-  
zatæ, primus Pontifex preficitur. A quibus, non multo post ad vomitū  
& idololatriam cum Rege Mendegone redeuntibus, atrocibus iniurijs ca-  
lamitatibusq; oneratus, quin & vulneribus affectus, tandem sede pulsus,  
Cracouiam redijt, celebritatiq; ei, dum sancti Stanislai Episcopi & mar-  
tyris, nuper ab Innocentio Quarto in album Sanctorum relati, sacræ cor-  
poris reliquiæ sollemni pompa de sepulchro leuabantur, & hominum ve-  
nerationi exponebantur, cum Archiepiscopo & Gerardo, cæterisq; Epi-  
scopis interfuit 1254. Tandem Cracouiae agens, dum regressum ad gre-  
gem commissum meditatur, in grauissimam incidit infirmitatem; & vita  
termino præcognito, sanctissimis Sacramentis ritu Christiano præmuni-  
tus, de terrena ad cœlestem patriam migravit, non sine maxima opinione  
sanctitatis, quam ingentibus miraculis, ad eius sacras reliquias, humi in  
Ecclesia SS. Trinitatis Cracouiae antea conditas patratis, demonstrauit.  
Anno si quidem Incarnationis 1277. filia Illustrissimi Sulconis Castella-  
ni Cracouien. ope medicorum destituta, animam spiritumque ultimum  
agens, Patre illius, vota sancto Hyacintho & Beato Vito pro ea fundente,  
<sup>M. S. Process.</sup>  
<sup>Canoniz. S.</sup>  
<sup>Hyacinthi,</sup> statim voce sonora, in laudes Dei & Sanctorum, pristinæ sanitati inuoca-  
tione eorum redditæ; Gratias, inquietabat, ago Domino Deo meo, & sanctis  
eius Hyacintho & Vito confessoribus, quia eorum meritis, a mea infirmi-  
tate, mortisque periculo sum liberata. Vislaus quoque nobilis ex acu-  
tissima febre ad extrema deductus, anno 1280. vbi implorasset Diui Hyac-  
inthi & Viti patrocinium, illos in admirando decore aspexit, alterum  
quidem Pontificali amictu fulgentem, alterum religioso Prædicatorum,  
atque ab eis, haec in verba curatus est. Vislae fili, in nomine Domini no-  
stri Iesu Christi, curamus te ab infirmitate quam pateris, Surge & cum  
matre tua, ad nostra sepulchra, vota pro te facta completurus perge.  
Dobroslavæ etiam Thomæ Comitis de Brzezie vxori, diurno pedum  
cruciati ex podagra afflcta, vna cum Diuo Hyacintho, simili specie ap-  
parens, anno Domini 1289. in die S. Bernardi, eam in pedes erexit sanam  
& in columem.

Multis postmodum miraculis clarescentis, atque suauissimum ex vir-  
ginea membris odorem spirantis, e terra iam olim effossæ sacrae reliquiæ,  
& vna cum S. Hyacinthi per Thomam a Szyczon Prouincialem repertæ,  
in altari S. Petri martyris, theca plumbea conclusæ, atque inde per Illustr.  
S. R. E. Raduillum Cardinalem, in Sarcophago S. Hyacinthi, sub eius sta-  
tua alabastrina, cultui hominum expositæ sunt 1594.

Reddendus esset nunc alijs innumeris fratribus, inter gentes verbuna  
vitæ, maximo cum fructu seminantibus, debitus honos & gloriae titulus,  
si eorum

si eorum nomina & acta, temporis iniuria, an forte etiam incuria antecelsorum non obliterasset. In dies a succedentibus summis Ecclesiæ Pontificibus, monebantur Prouinciales Poloniæ officij sibi commissi, de submittendis fratribus ad Paganos instituendos. Alexander Quartus, per literas Dat. Vite, b. i. Idib. Feb. Pontificatus an. quarto, quarum initium est. *Cum hora undecima sit diei.* Nicolaus Quartus, Dat. Reate tertio nonas Septembr. Pontificatus anno I. quarum itidem initium est. *Cum hora.* Clemens et am. Quartus, per literas quæ incipiunt. *Cum messis multa.* Prouinciales Poloniæ adhortabantur muneriis delegati.

Bulle Ale-  
xandri 4. Ni-  
colas 4. Cle-  
mentis 4 ad  
Prouinciales  
Polonia in  
Archiv. Pro-  
vincie.

Præstat inter alias, adscribere Alexandri Quarti Pont. Max. diploma monitorium, plumbo signatum, Prouinciali Poloniæ directum. ne quis vagus fratribus Polonis inter gentes pro Christi gloria amplificanda peregrinancibus, promeritat præripiat laudem. Cuius series talis est ad verbum ex Audiographio deprompta.

Alexander Episcopus seruus seruorum Dei.

**I**L E C T O filio Priori Prouinciæ Fratrum Prædicatorum in Prouincia Polonia, salutem & Apostolicam benedictionem. Cum hora vndecima sit diei, vt exeat ad opus, vsq; ad mundi vesperam deputari. Et illud Apocalypsis eulogium, cito creditur, cum matris Ecclesiæ consolatione complendum. videlicet oportet viros spirituales, vitam munditiae & intelligentie gratiam cum Ioanne fortitos, populis, gentibus, linguis, Regibusque multis denuo prophetare, quia non sequetur reliquarum Israel per Isaiam prophetata salutatio, nisi iuxta Paulum Apostolum, prius introeat plenitudo gentium. Nos licet immemorati, super Apostolicæ sedis speculam constituti, fideliter ac prudenter dispensandis Dei ministerijs, & operibus coadunandis intendimus, & urgente plenitudine temporis, post pia priorum studia, in vineam Domini Sabaoth, nouos & pene nouissimos, qui sapientiam longum didicere per otium, operarios mittere procuramus. Sane quia inter alios Propugnatores fidei Christianæ, Fratres ordinis tui, iuxta professæ Religionis officium Zelus comedit animarum ex eis ad gentes quæ Christum Dominum non cognoscunt, & ad subtractionis filios, qui Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ non obedinit, decreuimus aliquos destinandos. Quocirca discretioni tue per Apostolicâ scriptâ mandamus, quatenus aliquos ex Fratribus tibi commissis, quos præpotentes videris in opere & sermone, ac fidei ampliande zelo ferentes, ad terras Ruthenorum, Pagorum, & ad quascunque infidelium nationes, Authoritate nostra transmittas annuciatores illis in virtute Dei, Euangelicam veritatem. Quos tibi amouere liceat, aliosq; substituere, cum videris expedire. Quibus vice nostra, in peccatorum omnium remissionem iniungas, ut seminatur super aquas multas, in illo tantum, qui dixerat mundum se viciisse, confisi, ad illumina-

lumenationem casæ multitudinis, & exterminitum hæretice falsitatis, ad confirmandum nutantium animos, & fidelium confirmandos in luce sermonis, & certitudine operis, propositum sibi iter, sine qualibet offensione percurrant. Ut autem ministerium ipsorum honoretur plenus, & honorabilius impletatur, eiusdem Fratribus quos ad hoc misericors, presentium Authoritate concedimus, ut in Terris, quæ adhuc Sedis Apostolice magisterio non intendunt, proponere verbum Dei, & constitutis ibidem, non obstante, si aliqua sunt excommunicatione ligati, in verbis, officio, & cibo, ac alijs secure communicare, & ipsos seu etiam alios conueriti ad veritatem Christianæ fidei cupientes, recipere, baptizare, & aggregare Ecclesiæ filijs valeant, & Presbyteri ex eisdem Fratribus ipsos aggregatos, possint insignire charactere clericali & ipsos ad Acolytatus ordinem promouere. Liceat quoque Fratribus, ibidem, redeuntibus ad obedientiam dictæ Sedis, qui sunt excommunicatione ligati, absolutionis beneficium iuxta formam Ecclesiæ impetriri, & super eo dispensare cum ipsis, qui sacros receperunt ordines, & Diuina celebrarunt officia sic ligati. Hoc ipsum sit ipsis Fratribus licitum, circa illos de Terris eisdem, qui temporibus indebitis, vel infra etatem legitimam, aut qui omnes eadem die, vel superiores prætermisis inferioribus conferre seu recipere ordines presumserunt; si tamen in hoc seruata talis forma extiterit, per quam ordines receperint. Ipsi quoque Fratribus dispensare liceat, ut hi qui ad Ecclesiæ Catholicæ redierunt unitatem inter suos habitent, eisq; communicent. neccō quod Clevici nationum ipsarum, publice ad obedientiam Sedis redeuntes, eodem gaudeant Privilégio Clericali. Sit etiam eisdem Fratribus licitum, omnium fidelium in Terris prædictis confessiones audire, & ipsis iniungere penitentias salutares, & excommunicatos a Canone, vel in alio modo iuxta formam Ecclesiæ absoluere. dummodo iniuriam & damna passis, satisfaciant competenter. Cum irregularibus autem partium earundem, in casibus in quibus solent Legati Sedis Apostolica dispensare, ac etiam cum Clericis ipsarum partium, patientibus defectum natalium; dummodo non sint de adulterio, vel incestu, vel Regula iubis procreati, si Fratribus præfatis dispensandi facultas. Quam circa illos similiter habeant, qui ab unitate Ecclesiæ Catholicæ, seu religione, vel Clericali ordine discesserunt, si humiliter redire voluerint, & digne satisfacere de commissis, ita quod ipsi Religiosi ad sua loca, salua disciplina ordinis resumantur, & illos de iam dictis, qui excommunicationis vinculo sunt adstricti, iuxta premissam formam, & prædictæ satisfaktionis modum absoluere valeant. & cum irregularibus ex eisdem, sicut est expressum superius dispensare. Ad hoc, sit memoratis Fratribus absoluendi facultas occidores clevicorum & religiosarum personarum, in prædictis partibus constitutos. Fundandi de novo ibidem Ecclesiæ, & reconciliandi ipsas, que sunt casu aliquo profanatae, ac de novo fundatis, Rectores idoneos prouidendi. & illis de gentibus schismaticis nouiter sunt conuersi, dandi licenciam, ut uxores suas primas, cum quibus suis gradibus, a lege Divina non

prohibitis contraxerunt, valeant retinere. De causis matrimonialibus, quas in partibus illis, ad audienciam ipsorum deferri coegerit, legitime cognoscendi, ac discordantes inter se ad inuicem, quod ad pacem & concordiam reverant; necnon quod inordinate viuentes, de suis excessibus sicut iustum fuerit satisfactionem adhibeant, compellendi per Censuram Ecclesiasticam, ipsis Fratribus libera sit facultas. Insuper in locis, in quibus eos hospitiari contigerit, vel in locis partium earundem, in quibus residentiam facient, missam & cetera celebrandi officia, & in eisdem partibus cemeteria benedicendi, ac dandi Indulgentias, commutandi vota, liberam licentiam & plenam, etiam eos qui ad Paganos res prohibitas detulerunt, vel detulerint, absoluendi habeant potestatem. Ceterum Fratribus prefatis concedimus, quod a Catholicis Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis possint ordines, & alia Ecclesiastica sacramenta suscipere, ac vestes Sacerdotales, altaris pallias, corporalia, necnon Altaria, per eos qui ex Fratribus ipsis sunt Presbyteri, cum eis necesse fuerit benedicere, ubi Catholicorum Episcoporum copia non habetur, necnon alia facere; que ad augmentum Dominici nominis, & ampliationem Catholicæ fidei, & reprobationem ac irritationem illorum que sacris Traditionibus contradicunt, sicut pro loco & tempore viderint expedire. Non obstantibus aliquibus literis, vel Indulgentijs, cuiuscunque, sub quacunque forma, vel verborum expressione concessis, vel in posterum concedendis, de quibus oporteret in nostris literis plenariam fieri mensionem. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostrę concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumperit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursum. Dat. Viterbi, Idibus Februarij, Pontificatus nostri Anno Quarto, salutis, 1259.

Monitorio Alexandri Quarti, Frater Stanislaus, qui tum Provinciae Poloniae præterat, qua pars est reuerentia exosculato, ipse & postmodum succedentes Provinciales, his & alijs aliorum summorum Pontificum literis exciti, plurimos quotidie operarios, ad vineam Christi plantandam & auerruncandam dirigebant. Qui munera Apostolici memores, non ipsis tantu Russiæ, vel Scythiaæ, aut Moschouiaæ limitibus se continebant, verum ad viciniores Dacos, Bulgaros, Cumanos, Bosnenses, Græcos, imo & ad lungissimis tractibus remotos Sarracenos, Aethiopas, Syros, Iberos, Alanos, Gazaros, Gothos, Zileos, Jacobitas, Nubianos, Nestorianos, Georgianos, Armenos, Mostelitas, Achæmenios, quin & ad extremos Indos Orientales, quasi Gigantes efficacissimi lacerti, exultantes ad sternendam, parandamque viam Domino excurrebant. Nulla vt fuerit gens ad Orientem Solem, & gelidum Septentrionem, que radijs splendidissimis, & ardentibus, sparsis a noua luce mundi, Fratribus Prædicatoribus ex Provincia Poloniae, non fuerit illustrata, & incalenta. In quos rite quoque usurpari potest illud Psalmus. In omnem Terram exiuit sonus eorum, &

in fines orbis terrae verba eorum. Nomina eorum scripta sunt in libro vita, & dum nostra neglexit, superior illa coelestis Ecclesia, laudem eorum sibi nunciat; demiratur, & attollit. Innumerabiles fuisse hos athletas, ex prouincia Polonię, per ducentos triginta quatuor annos, submissos s. ab anno 1222 ad usque 1456 de societas extincta est, ad quam etiam prouinciales Polonię fratres dirigebat censemus, qui inter hostes natura barbaros, moribus efferratos, impietate sacrilegos, vitam degentes sanctissimam, multis calamitatibus & crucibus onerati, sanguineo roseo per martyrium fuso purpurascentes, semen Christianorum sparserunt. Et his in antiquo ordinis chronicō praecipui nominantur, breui concisoque titulo expressi.

*Lean. in Cir.  
Prad. M. s.  
in fol. antiquis.  
B. Bereng.*

B. Berengarius Episcopus Cracovię tunc designatus, dum nihil cogitante Pontifice latus dextrum transfossus, pro Christi fide apud gentiles, occubuit.

*B. Bernard.*

B. Bernardus Archiepiscopus Halicię, antequam sedes Leopolim transferretur, serra per medium dissectus quasi alter Propheta, inque ignem postmodum coniectus, a Turcis exultus est, alij tradunt, a Scybis, crudelissimo hoc mortis genere, pro fide exanimatum.

*B. Adrienus  
cum 26 fra  
tribus.*

B. Adrianus magister cum sex & viginti fratribus, ab eisdem hostibus Christiani nominis, palis infixi praecutis, martyrio coronati sunt.

*Triginta  
duo marty  
bes.*

Bosnę triginta fratres & duo, Polonico idiomate qui & Sclauenico similiis est, populo illi prædicantes, submersi in flumine a Turcis, martyres Christi effecti sunt. Ad eorum gloriam ostendendam; quolibet anno passionis eorum, triginta duo luminaria Cœlitus demissa, radiare consueverant, in loco vbi fuerant demersi.

B. Albertus & B. Dominicus ad Boristenem a Tartaris occisi, alij in captiuitatem abducti.

Ibidem nonaginta fratres, alij gladio, alij sagittis, alij lanceis interficiuti alij ignibus concremati, ad regnum cœlorum transferunt.

Alij quoque plures, alibi locorum, diro mortis genere, ab immanibus Paganis sublati, cœlitum Concilio adiecti fuere, quorum memoriam ille qui etiam vitam, extictam esse voluit, Sathanas osor Christiani nominis & splendoris.

Dū eriā Volinen, Rutheni, Samagita, Liuones, & Lituani, sepe a Religione Christiana descisserent, F. Joānes nūcupatus Episcopellus prouincialis Poloniae, & postmodum, Ladislao Jagellone Rege, cui a sacris confessionibus fuerat, contendente, ad Episcopatū Chelmensem in Russia primus electus, Frater Nicolaus quoque magister, Vezikorum familia ortus, eiusdem Ladislai Regis Polonię Ecclesia stes disertissimus, illum pientissimum Monarcham, summis laboribus vivere, ut idololatria, & schismatice illi populi, hi ad unitatem Ecclesię, illi autem ad puritatem fidei reducerentur. Amborum prædicatione feruentissima, innumera Lituaniorum Samagitarumque nullia conuersa, agminatim distincta, more Apostolico, Baptis- magis

*F. Ioānes  
& F. Nico-  
laus Vezik  
Cromer. a-  
pud Strico-  
niugn. Mi-  
chau lib. 4  
cap. 46.*

matis Lympha abluta, tūc esse perhibentur. Ita Cromerus. Cum, inquit, immensi laboris esset, singulos sacro fonte tingere, nobilioribus hic tamen honor habitus, reliquum vero vulgus, turmatim distributum, aqua lustra li, huc sacra a sacerdotibus conspersum est. vnumque nomen cuique turmæ, tam virorum quam mulierum inditum. De altero eorum hęc reliquit Miechouius. Contigit, inquit, in prima plantatione, dum Samagitz per magistrum Nicolaum Vezyk fratrem ordinis Prædicatorum Regium prædicatorem, per interpretem instruerentur in fide, de creatione mundi, & lapsu primi hominis Adæ, unus Samagitarum sufferre sermonem prædictantis non valens, in hac verba prorupit. Mentitur, inquit, Illustissimi me Rex, sacerdos iste. Afferit mundum creatum fore, quum sit homo non longæ ætatis. Sunt enim inter nos plures, annorum numero seniores, & centenarium numerum supergressi, qui nullius creationis meminerunt. sed Solem & Lunam ceteraque sydera, super eisdem motibus luxisse referunt. Tum Rex Vladislaus, interpretis nimirum officio fungens, nobilem silere iussit. Magistrumque Vezyk creationem mundi non afferuisse, in diebus suis cepisse, sed longe ante declarauit, puta ante sex millia annorum, vel paulo post Diuina ordinatione processisse.

Eo animo, conuersionis paganorum & schismaticorum Ladislaus Rex, Episcopatum Chelmen. inter Ruthenos erigi curauit. primumque dignitate Episcopali creari a Summo Pontifice postulauit, prædictum F. Ioannem Opatouensem prouinciam Poloniae. fundatis in ijsdem partibus aliquot Conuentibus prouinciae Poloniae, ad instantiam eiusdem Episcopi, qui vna cum fratribus, obstinata animi præstantia conabatur, vt e Satana manus, misere captiuas animas extorqueret, Crucisque salutari vexillo apud barbaros erecto, trophea de idolatria & schismate statueret.

Inter hęc præcipuum fuit, Ioannis Episcopi Chelmen. & Michaelis Kiiouien. & fratum Cœnoby Kiiouien. studium, vt schismatici illi reducres essent ad ecclesiam. Et quia in Isidoro Metropolitano summam rei constitutam perspiciebant, quippe cuius extremo, ceteri Rutheni & Graci ritus Episcopi, & ipse Orientis Imperator, (apud quem summæ existimationis fuerat Isidorus, propter ingenij doctrinam & morum probitatem) facile Ecclesiam pro matre & Summum Pontificem Romanum, pro universalis Pastore agnitiuri essent, cum eo totis viribus egerunt, concionibus, disputationibus, colloquijs priuatis illicientes, se vt Ecclesiæ submitteret, corpus Christi ne scinderet, fasces supremas Christi in terris vicario collatas in Romani presulis manibus ex oscularetur, alios sui ritus in eandem sententiam trahat, Ecclesiasticam vniōnem complectatur, Imperatori orientis idipsum studeat, felici labore perfecerunt, vt Isidorus cum Imperatore ad Concilium Florentinum Oecumenicum accederent. sublatoque schismate se in unitatem corporis Christi insererent, ann. dom. 1439.

Nostra quoque etate F. Michael Mosticen. S. T. magister, tunc prior Luccorien.

*Episcopatus  
Chelmen &  
aliquot Mo-  
nasteria.*

*M. sanctig.*

ceorien. non frustraneos subiit labores in conuersione Ruthenorum ad gremium Ecclesie. Quamdiu ille Lectoris doctissimi munus obiit Vilnē in conuentu S. Spiritus, plurimos schismaticorum & hereticorum in sui admirationem pertraxerat, acrimonia docendi & disputandi. In gratiam quoque Ducum Radiuolorum, præsertim vera pientissimi illius Stanislai cuius auspicio conuersio prædictorum agebatur, se insinuauit. qua propter eum illo frequens erat successu. opere in hoc labore. Prioris autem officium administrans in conuentu Luceoriensi, contracta familiaritate cum Ipatione Prototheonio Episcopo Volodimirien. Brestensique, nec non cum Cirillo Terleckzki Exarcha Metropoliax Kiouien. Episcopo Luccoriensi Ostroiensisque: atque imprimis cum Michaeli Metropolita Kiouien. Halicien. & totius Russiæ ritus Græcanicæ Ecclesie, nunc priuatis persuasioneibus, nunc doctissimis disputationibus cum eis habitis, plurimum egit, vt vniuersi Episcopi Russiæ vna cum populis, suę curę subiectis, schismate post Concilium Florentinum ab Ecclesie corpore præcisi, ad eadēm, postliminio redirent. Consilio enim inter se illi communicato in Synodo iudicata, de renouanda vnione cum Ecclesia Romana P. Michaeli suaſu Legationem instituendam ad Sedem Apostolicam decreuerunt. Hinc fidei formula, ad veterem normam Ecclesie, concepta & præscripta, atque ab eodem P. Michaeli ad antiquam assūmū exanimata, Legationis munus Ipationi & Cirillo Episcopis, ad Clementem octauum Pontificem Maximum iniunxerunt. Qui mandatis acceptis, a prædicto Metropolitanō totius Russiæ, atque ab alijs Coepiscopis, nempe, Gregorio Archiepiscopo Polocen. Vitebsensiique. Dionysio Zbiruski Episcopo Chelmen. Belsenique, Leon tio Peleciczki Episcopo Pinsensi, Turouiensiique Iona Hohol Archiman drita Kobrinē. Ecclesiæ S. Saluatoris, Vrbem accedentes, die 23. mensis Decembris anni domini 1595. in Aula Constantiniana Palatij Vaticani coram ipso Summo Pontifice Clemēte VIII. & S.R.E. Cardinalibus, alijsque diuersi ordinis, diuersarumque dignitatum insignibus proceribus, in publicum Auditorium admitti, Pontifice conspecto in terram se venerationis ergo prosternentes, & ad thronum eius accedere iussi, eiusdem pedibus humillimo cultu & reverentia exosculatis, litteras Legationis a supradictis Episcopis subscriptas & signatas, Pontifici in confirmationem obedientiæ præstite, legendas obtulerunt, mox fidei Catholica Professiōnem in scriptis editam, suaque manu subscriptam, coram ipso Summo Pontifice recitarunt, repetitisque iuramentis procuratorio & proprio nomine, & subscriptionibus confirmata, ad Ecclesiæ communionem admitti sunt, maxima totius Ecclesiæ gratulatione & lætitia. Eius legationis & vunionis Ruthenorum acta, sunt apud Baronium, tom. 7. ad calcem.

## CAP V T Q V A R T V M .

De Societate Peregrinantium inter gentes propter Christum, quæ fuerit quo tempore, a quo, qua ratione instituta: quid egerit, & quando desicerit.



**R A T R I B V S** ex prouincia Poloniæ, iam a temporibus S. Hyacinthi, nimirum ab ann. 1222. inter gentes peregrinantibus, exemplo eorum pellecti, prælati aliarum prouinciarum, vires suas, illorum coniungebant viribus, fratresque suæ curæ subiectos, his adiungebant Coadiutores, qui eadem fiducia & constantia, vna cum Poloniæ, fratribus, verbum vitæ, annunciant gentibus, multosque & vberes fructus Euangelij, refrebant laborum suorum, lucratas scilicet animas Creatori & Redéptori Deo. Hi ergo inter infideles multiplicati, quo in vnum quasi corpus coalescerent, vt facilius ab immediato aliquo præside suo dirigerentur, & acrius ad opus inflammarentur, Ioanni vigesimo secundo Pontif. Max. supplicarunt, vellet eos in vnam societatem redigere, vicariumque aliquem generalem præficere. cuius opera & solitudine huic vni curæ incumberent, vt gentiles, possint a tetra caligine idolatriæ, ad veritatis lucem traducere.

Fratres Ge  
tibus predi  
cantes ab an  
no, 1222.

Id munus iniunxit Ioannes Pontifex, magistro generali totius ordinis. E. Hugoni Campano per litteras dat. ann. domini 1324. quarum initium est. *Gratias agimus &c.* vt præfatum vicarium super fratres peregrinantes possit instituere, & cum necesse esset destituere. Hocanno originem habuit in ordine Prædicatorum societas peregrinantium inter gentes. Nullos tamen conuentus sibi specialiter designatos, sicut nec vllum certum numerum fratrum sibi assignatum, habebat cum prouinciales diuersarum, iuxta informationem Vicarij generalis, ex ordinatione Diuionen. 1333. Capituli generalis, eidem societati fratres subministrarent; qui ad illos Conuentus, tam quo ad suffragia ferenda in electionibus, quam ad suffragia mortuorum (vt vocant) quæ scilicet solent in ordine recitari mylæ, psalteria, & id genus alia officia pro anima defuncti fratris, conuentui aliquo assignati, vel in eo recepti) capessenda & participanda, ex præscripto constitutionem spectabant, atque ad eos festi. ex labore remittebantur, ex quibus assumerbantur.

Institutio so  
ciæ peregrin  
an. anno.  
1324.

Tandem anno Domini 1378. Gregorio XI. Pontif. Max. & Magistro ordinis Helia d. spontentibus, decem Conuentus, a tribus Prouincijs, nempe a Prouincia Poloniæ, Leopolien. Camenecen. & Smotricen. a Prouincia Hungariæ Cereten. Pansuten. & Primicellen. a Prouincia Græciæ, Chien. Caphen. Trapesuntinus & Peyræ, mutuo concessi, eidem Societati Peregrinantium decreti sunt. Eo fine, vt ad hos Conuentus, siue infirmitate deicti, siue labore defatigati, vel senio confecti fratres tanquam sub ym<sup>z</sup> bonera

Sine conuen  
tibus per an  
nos 54. scilic  
et ad ann.  
1378. stetit  
societas.

bonem confugerent. Deinde ut longius ab oculis Pastorum suorum euangeliantes ijdem, faciliore via & ordine ( vt est lubrica statio Religiosi extra claustra) in claustris proximioribus officij sui a Vicario admonerentur. Et ne quis rerum tunc & eo modo gestarum fidem somnijs suis eleuet. Habent Annales expeditiones Prouincialium Poloniae vetustissima monumenta, commento hominum somno oppressorum & inscrita laborantium maiora, dispositionis trium illorum Conuentuum Prouinciae Poloniae, aliorumque in Russia, a Prouincialibus Poloniae, adusque, imo supra tempora literarum Gregorij XI. requisitionis eorundem Conuentuum pro societate, vt intelligamus etiam tum, non usquequa illos a Prouincia secretos fuisse, cum ab ijsdem Prouincialibus Poloniae, Fratres quotidie submitterentur in societatem. Ioannes enim Bregensis Prouincialis Podoliae, instituit Vicarium suum in quibusdam Conuentibus Russiae, inter quos recensetur Leopoliensis, Fratrem Lupoldum Lectorem Cracoviensem, per literas datas Vratislauie die 3. Octob. anno 1372. Idem Prouincialis, Fratrem Stephanum Priorem Conuentus Leo; olienensis ab officio amouet, & Fratrem Nicolaum Tolberg super eundem Conuentum, & totam Russiam instituit Vicarium suum generalem, indicata Fratris Petro Sobumel, F. Stephano, F. Venceslao, antiquioribus in ordine & alijs fratribus, die noui electionis Prioris, nec multo post fratrem Ioannem Leopolien. electum Priorem instituit Vicarium suum generalem in Conventu Leopolien. Camenecen. & in omnibus alijs qui tunc fuerant nationis Russiae, cum facultate recipiendi fratres ad ordinem, assignandi, constituerendi, corrigendi, absoluendi, reformandi, Conuentus nouos acceptandi, per literas Dat. Thessim 11. Maij 1375. Petrus autem Vasserhab Prouincialis, pro officio suo, Priorem Conuentus Lepolien. monet seuere, ad obseruantiam Constitutionem & Capitulorum tam generalium, quam Prouincialium, si velit penas ordinis euitare, hortaturque eum ad imitationem P.F. Dominici Prioris eiusdem Conuentus, nuper defuncti. Advertatis, ita scr. bit, (sic habet exemplar in Regesto relictum) sinceritatem eius, quam ad vos & vestrum Conuentum habuit, & cum quanta honestate rexit, & in quali honore dimisit, vt & vos similia faciatis. Contributionem deinde solitam pro duobus annis ab eo exigit, Dat. literis Suidnicie 2. Ianuarij anno 1393.

Post annum igitur Dominicæ Inarnationis 1378. & ultra, tres illi Conuentus Prouinciae Poloniae Societati adiungi cuperunt, mutua concessione Prouincialis Poloniae. Exstat diploma permisoriis Gregorij XI. Pöt. Max. Dat. Romæ quinto Kalen. Febr. Pontificatus eius anno octauo, cuius initium est. Super cuncta desiderabilia, &c.

Initio initia huius Societatis, iunctis viribus fratres illi, indefesso labore fidei Christianæ vexilla ad longe distitas Barbarorum Prouincias & Regna intulerunt, multas easq; efferas gentes Christi iugo subdide sunt suoq;

M. finit. ex  
pedit. offic.  
Prouinc. Po-  
lon. antiquis/  
fimis.

Prouincialis  
Polonia regis  
Conuentus in  
Russia anno  
1372.

Opera Socie-  
tatis.

fluoq; sanguinē abundē pro Christi nomine fuso, plurimos Ecclesiæ filios, feliciter pepererunt. Acta eorum omnium tempore interierunt. Innumerabiles fratres ex diuersis Prouincijs submissos, illum laborem subiisse, coniectura est, quod ijdem peregrinantes disiuncti postmodum essent, in eos quos vocabant Vnitos & Armenos, quibus ad instantiam F. Ludouici Pisani Vicarij, ab Eugenio IIII. nonnullæ concessæ fuerant gratia per litteras Florentiæ datas, anno Domini 1439. Pridie Idus Augusti, Pontificatus eiusdem anno nono, quarum initium est. Plantatus, &c.

Perstigit ea Societas peregrinantium in decem enumeratis Conuentibus, sub regimine vnius Vicarij generalis, ad usque annum Domini 1456. quo in Capitulo generali ordinis Prædicatorum apud Montepessulanū extincta est; cum propter alias grauissimas causas, solis Patribus ordinis optime perspectas, & olim in antecedentibus alijs Capitulis generalibus discussas, tum vero etiam propter recensa Turca immani captam Asi am.

Anno siquidem Domini 1450. facta est totius Peloponnesi, misera vastatio per Mahumetem Amurathi F. Qui trucidato Paleologo Costantino Orientis Imperatore, noua Roma Constantinopoli, Lesbo, Chio, Peyra, atque fere tota Asia potitus, innumeros Sacerdotes & religiosos internecione deleuit. Hinc monasteriorum clades fecutæ. Hinc socij peregrinantes a cæde residui, ad suas prouincias palantes reuersi, hinc societas dispersa, necessum ut fuerit Patribus ordinis in Capitulo generali Montispessulanii anno Domini 1456. illorum decem Conuentuum administrationem docernere prouincijs, a quibus seiuicti fuerant, tali Edicto. Quia Conuentus terra peregrinantium, non possunt per Vicarium sicut hactenus gubernari, committimus Conuentus Russiæ Prouinciali Poloniæ, illos iurisdictioni & regimini eius submittendo. Et similiter Conuentus contratae Moldauiæ & Valachiæ maioris & minoris, prouinciali Hungariæ, reliquos vero Conuentus Græciæ, & Conuentum Caphensem, prouinciali Græciæ. Roborarunt hoc editum in alijs duobus subsequentibus Capitulis generalibus, videlicet Nouiomagi an. 1459. & Senis anno 1462. quod etiam in vim perpetua Constitutionis transiuit. Celebratum est tunc temporis Posnaniæ Capitulum Prouinciale, scilicet anno Domini 1458. In quo tertij Diffinitoris munus & dignitatem sustinebat Fr. Nicolaus Cingulatoris, Prior Conuentus Leopolien. In eo Capitulo, denunciatur Patribus, illa dispositio de Conuentibus Russiæ, in hac verba.

Denunciamus vniuersis fratribus nostris prouinciæ, quomodo in proxime præterito Capitulo generali Montispessulanii, in festo Pentecostes, de anno dom. 1456. celebrato, per Reuer. Magistrum ordinis F. Martialem Auribelli de Auinione S. T. professorem, & Reuerendos patres Prouinciales & generales Diffinitores, in eodem Capitulo existentes, contrata Russiæ Prouinciæ nostræ Poloniae est adiuncta, & perpetuo adscripta, quam omnes eiusdem contratae Patres & fratres, tanquam filii obedientiæ, re-

*Extincta Societas, quam  
do & quare.*

liter & cum effectu assumpserunt, subijcientes se ultra regimini prouincialis Poloniae, sicut & ceteri Conuentus eiusdem prouinciaz. In eodem Capitulo, creatur Prædicator generalis, idem F. Nicolaus Cingulatoris. Conuentui autem Leopolien. pro Lectoris & Concionatoris Polonorum officio, F. Nicolaus Siemensius, pro Ecclesiaste Theutonum F. Nicolaus Halbemarg. pro studentibus F. Nicolaus Delfini, F. Clemens Sartoris & alij sex.

Resuscitare tandem eandem societatem quidam priuati fratres nitebantur, diplomate Eugenij IIII. per fratrem Ioannem Fatinanti Genuensem excitati. Qui conatus eorum, quia minus vtilitatis, magis vero danni posse videbantur inferri Religioni, Magister ordinis Martialis Auribelli, de communi bono Religionis sollicitus, literas alias a Sede Apostolica implorauit, inque Capitulo generali Nouiomagi. Patribus publice recitare iussit, & iuxta earundem seriem, Capituli Montispessulanii de Societate peregrinantium antecedens Decretum innouauit, imposito silentiobis qui per speciem zeli, præter scitum ordinis prædictam Societatem erigebant. Inter hos prædictum Fr. Ioannem Genuensem & F. Nicolaum Cingulatoris Priorem Leopolien. auctores, idem Mag. ordinis cum Patribus, in eodem Capitulo generali, ab officijs suis amouit. Anno postmodum 1462. post Senense generale, celebratum est Prouinciale Capitulum Glogouia, in quo ter iam repetita auctoritate ordinis, coacti patres Proinceps curato earundem Conuentuum Russiæ susceptam, denunciarunt Commissionem eandem factam per Reuerendissimum Magistrum ordinis, & Capitulum generale prouinciaz de Conuentibus Russiæ, per tria Capitula generalia immediata esse ratificatam, approbatam & confirmatam. Ibidem Conuentui Leopolien. assignatur Fr. Andreas de Conuento Cracouien. alijs autem alij fratres tam prouinciaz Poloniae, quam illorū Conuentuum filij.

P. M. Bulla  
qualis. Surrexit interim F. Christophorus Viterbiensis prouinciaz Romanæ, qui auctoritate priuata rursus excitare eandem Societatem curabat per literas apud Pium Secundum, rerum ordinis ignarum, tunc contra Turcas expeditionem parantem, itinerique se Anconitano accingentem, alijs curris obrurum obtentas. Instituebatur ab eo Pontifice Fr. Christophorus Vicarius societas peregrinantium iam extinctæ, ab obedientia ordinis, vnam cum successoribus tam Capitibus quam membris exemptus, non generali Magistro, non Capitulis generalibus, non disciplina Religionis communis subiectus. Soli sacrosanctæ Sedi Apostolice, non vero ordini additus. Dabantur ei amplissima facultates, pro societate, Capitulorum generalium decretis & statutis, inscio & inuito ordine, qui Bullam subreptitiam renocauit. Conuentus item Lituaniae, qui tunc nulli erant adhuc, Russiae Yppodoliet, Valachie majoris & minoris, imo & Congregacionis Unitorum & Armenorum, socijs iam dispersis atq; extintis attribuebantur,

buebantur per literas Dat. Romæ, in procinctu ipso itineris, pridie Idus Junij anno Domini 1462. Pont. anno 6. & ultimo. Earum initium est.  
Dum leuamus, &c.

Et quia id euenire in periculū Religionis fratrumq; videbatur, aduerso pectore, se huic concessioni opposuit ordo in Capitulo generali subsequenti Nouarij anno 1465. & in Romano 1468.

In quo omnes gratiæ & literæ earundem atq; exemptionum sub quacunque forma verborum, a quo cunque in scio & in uito ordine cuicunq; concessæ reuocantur & annihilantur. Et ne id in posterum fiat, in Capitulo Auinionen. anno 1470. seuerere inhibetur, proposita censura excommunicationis in contrafaciētes.

Veritus hoc anathema F. Christophorus Viterbiensis. Vicarius Societatis per Pium Secundum institutus, in eodem Capitulo Auinionen. coram patribus Vicarij officio se abdicauit.

Caterum frater ille Ioannes Genuensis, iterum eandem Societatem redintegrare orsus est. Et Sexto Quarto Pontif. Max. eodem peregrinationis titulo imposuit, ab eo que confirmationem Bullæ Pij Secundi obtinuit. Percellunt illum Patres in Capitulo generali Basileen. 1473. omnesque Vicarios in terris infidelium officio amouent, auctoritate Pontificia & ordinis, seueris in posterum propositis pœnis, contra Bullam similium importunos exæctores. Interim tres illi Conuentus Russiæ, vñaq; cum alijs prouinciæ Poloniæ, dispositioni prouincialis obtemperabant, nequicquam curantes, quidquid alij a Pio Secundo, & Sexto Quarto obtinuissent. In Capitulo, namque Sandomirien. anno 1465. inter patres quos vocant Diffinitores, interfuit F. Mathias Gosz Sacré Theol. Lector Prior Leopolien In Capitulo Varacen. anno 1468. assignatur Leopolien. Conuentui pro Lectori artium Fr. Clemens Belsen. vero, Rubiesouien. Rodlen. Lancuten. Camenecensi. Smotricen. Mosticen. Kijouien. Colomien. & Nouogrodensi alij fratres designati fuerunt.

Capitulum quoque prouinciale celebratum est a Patribus Leopoliano 1470. in quo Diffinitoris munere fungebatur Fr. ille Nicolaus Cingulatoris, atque ad illum Conuentum, vt & ad alios Russiæ auctoritate prouincialis & Patrum prouinciæ Poloniæ assignati sunt fratres.

Sic postmodum longa serie annorum, in diuersis Capitulis prouinciilibus eiusdem prouinciæ Poloniæ, nempe Siradien. ann. 1473. Lancicien. an. 1486. Posnanien. ann. 1505. Stolpen. ann. 1475. Varacen. ann. 1489. Sandomirien. anno. Sandomirien. anno.

1477. Siradien. ann. 1494. Snenen. ann. 1510. Lublinen. ann. 1478. Lublinen. anno. 1496. Bochnen. ann. 1512. Plocen. ann. 1480. Loucien. ann. 1498. Loucien. ann. 1514. Sandomirien. an. 1483. Theßinen. ann. 1501. Siradien. ann. 1517.

Sixti 111.  
Bulla qua-  
rti.

|                         |                        |                         |
|-------------------------|------------------------|-------------------------|
| Culareni. ann. 1519.    | Bochnen. ann. 1546.    | Lublinen. ann. 1570.    |
| Petricoutien. 1524.     | Varacen. anno. 1551.   | Cracouien. ann. 1574.   |
| Lancicien. an. 1528.    | Sandomirien. an. 1552. | Leopolien. ann. 1577.   |
| Varacen. anno. 1531.    | Leopolien. anno. 1556. | Przemislien. ann. 1580. |
| Lublinen. ann. 1534.    | Ploceni. ann. 1558.    | Sandomirien. ann. 1583. |
| Siradien. ann. 1536.    | Siradien. ann. 1561.   | Louicien. ann. 1586.    |
| Posznanien. anno. 1540. | Louicien. ann. 1567.   | Cracouien. ann. 1590.   |
| Cracouien. ann. 1543.   | Bresten. ann. 1568.    | Lublinen. anno. 1593.   |

In his inquam omnibus Capitulis prouincialibus, prouinciales Poloniae similitudinem Diffinitoribus capitulorum prouincialium successiue, auctoritate & iurisdictione sua ordinaria conuentus omnes Russiæ moderabantur, illis vicarios generales contratae, non autem iam extinctæ societatis præficiebant, priores instituebant, confirmabant, deponebant. Magistros, Baccalaureos, Lectores, & prædicatores generales postulabant & ex commissione creabant, addiffinitionem admittebant, Questores, confessores, studentes, & alios fratres, ad illos & ex illis conuentibus assignabant. Peñas ijsdem pro criminibus infligebant, aliaque omnia & singula exequabantur, quæ ex reconuentuum & fratum illorum, & ex occasione ad regimen exterritum spectare videbantur. Donec nostro tempore (quo tredecim fratres, filii conuentus Leopolien. officio prioratus fungentes in insignioribus prouinciae conuentibus reperti sunt) quidam ex eis se a prouincia seiuengere, prætextu corundem, priuilegiorum, nihil ad suum ius spestantium, conati sunt. Re hac ad sedem Apostolicā delata, Clemens VIII. Pontif. Max. primum auctoritate commissa sacræ congregatiōni S. R. E. Cardinalium super negotijs Episcoporum & regularium, deinde per Illusterrimum D. Gamillum Burghesium tunc S.R.E. Cardinalem, nunc foeliciter moderatum Pontif. Paulum V. & Illusterrimum itidem Cardinalem D. Pompeium Arrigonum, quibus postremo cognitionem causæ anno. 1601. demandauerat, ipse intellecta, priuilegia Pij II. & Sixti III. aliorumque Romanorum Pontificum prædecessorum suorum pro hac societate peregrinantium iam olim extincta abrogauit & annullauit. vt est videre in decreto facto auctoritate Apostolica & delegatis tribus iudicibus ex religione deputatis, & in diuersis litteris tam sacræ Congregatiōni prædicta, quam eiusdem Papæ Clementis VIII. & postremo in denunciatione capitulo generali Vallisoletani anno 1605. de quibus cap. 20. in quo patres excommunicationis sententiam innouarunt & tulerunt in omnes qui directe vel indirecte hæc priuilegia vt pote fomenta litium suscitare niterentur. Denunciatione tertia: Successus & repullulantes radices societatis istius, vel satius sub specie illius, ex his Pauli quinti Pontificis Max. felic. moderni litteris quisquis es coruice. quarum tibi seriem ad verbum ab origine in sero.

Paulus Papa Quintus, ad perpetuam rei memoriam.

**R**O M A N V M Pontificem saluti vniuersorum prospicientem, ita par est, quosdam gratijs & fauoribus specialibus prosequi, vt exinde nulla turbatio pacifici status communitatis, nullum ue præiudicium iuris & iustitiae aliorum sequatur. Quapropter, si aliquando contingit, ab eodem innumeris occupationibus præsto, aliquas litteras, in aliquorum præiudicium, emanare, mirandum non est, si ipso præiudicio cognito, litteras huiusmodi quam primum reuocet, aliterque disponat, prout in Domino conspicit salubriter expedire. Sane die septima, mensis Ianuarij proxime præteriti, ad supplicationem dilecti filij Alexij de Leopoli, Congregationis nouæ in Russia, ordinis fratrum Prædicatorum, confirmaueramus quedam priuilegia, dudum a fel. record. Innocentio IIII. Gregori XI. Pio II. & Sixto IIII. prædecessoribus nostris, societati Peregrinantium inter gentes, vt dicitur, concessa, quatenus tamen essent in vsu & non essent reuocata, neque sub aliquibus reuocationibus comprahensa, vt scilicet, fratres eiusdem Congregationis, nuper, vt idem Alexius asserebat, restitutæ, a Tartaris inuitati, & apud Valachos, iam vt narrabatur, verbum vita disseminantes, possent in ijs & in alijs partibus infidelium, vexillum Sanctæ Crucis leuare ad gentes, qua Iesum Christum non cognoscunt, & qua Sacrosancta Romana Ecclesiæ non obediunt. At quia postmodum, tum ex relatione dilecti filii fratri Ludouici Ystella Vicarij generalis in absentia magistri totius Ordinis Prædicatorum, aliorumque professorum eiusdem Ordinis, tum etiam re ipsa a nobis recte examinata, intelleximus, quod hæc societas Peregrinantium a superioribus eiusdem ordinis, in Capitulis generalibus, de anno domini 1456. apud Montem pessulanum, & 1459. apud Nouiomagum, & 1462. Senis extincta & suppressa fuerit. Quodque nihilominus quidam Fratres, Societatis peregrinantium huiusmodi nouam erectionem a predictis Pio II. & Sixto IIII. prædecessoribus cum aliquibus Priuilegijs obtinuerint, ac successive de anno 1473. in Capitulo Generali Basileæ ab ordine Prædicatorum, auctoritate Apostolica, ab officijs Vicariatus Generalis super Fratres in terris infidelium absoluti essent. Deinde quod etiam anno Domini 1596. quidam Fratres Conuentus Leopolensis Provinciae Poloniae ordinis Prædicatorum, in Capitulo Generali Valentij celebrato, diuisionem Conuentuum Russæ, Yppodolie & Lituanie a Provincia Poloniae, & ex eis erectionem nouæ Provinciae sancti Hyacinthi de Russia eiusdem ordinis anuerunt, fueruntque occasio multorum malorum propter quæ dictus Clemens V III. Prædecessor noster, literis carissimi in Christo Filij Sigismundi Tertij Regis Poloniae & venerabilium Fratrum Archiepiscoporum & Episcoporum, vniuersorumq; Principum Regni Poloniae adductus, primo per Henricum Caietanum S. R. E. Card. suam & Sedis Apostolica in Regno Poloniae Legatum de Latere, deinde per Congregationem S. R. Ecclesie Cardinalium super negotijs Episco-

Episcoporum & Regularium deputatorum, & ex eiusdem Congregationis, imo verius Sedis Apostolicae commissione, per tres fratres ex ordine Prædicatorum Iudices deputatos, ac postremo etiam per nos cum de numero dictorum S.R.E. Cardinalium essemus, & dilectum filium nostrum Pompeium Arrigonum tituli S. Balbina Presbyterum Cardinalem, re controversa, examinata & iudicata, dictam creationem nouæ prouincie Sancti Hyacinthi de Russia, cum omnibus iuribus, dictis Privilegijs Pij II. & Sixti IIII. aliorumque Romanorum Pontificum litteris nequaquam obstantibus reuocauit, suppressit & extinxit, & in locum eius, propter bonum pacis, congregationem nouam in Russia instituit, non autem societatem illam peregrinantem restituit, assignatis eidem Conuentibus, Leopolien. Camencen. Kijouien. Masticen. Rubeckastri & Iazlouien. Alios vero omnes in Russia, Tppodolia, & Lituania ad prouinciam Poloniae, vna cum Privilegijs eorundem in conuentu Leopolien. olim depositatis, ad eandem prouinciam Poloniae restituere mandauit, silentiumque perpetuum sub poenis & censuris, utriusque parti imposuit. prout plenius continetur in litteris eiusdem in forma breuis dat. Romæ 30. Iulij. anno 1601. que incipiunt. Ex pastoralis nostri munera, & in alijs dat. sub plumbo. anno dom. 1604. nono Kal. Maij. & rursus alijs, eodem anno sub anno die 23. Aprilis. Quamobrem ex his & alijs evidentibus documentis clare perspeximus, predictum Alexium Procuratorem & fratres dictæ Congregationis in Russia, qui societatem Peregrinantem paucis ab hinc annis esse restitutam minus recte asserebant, ad diuisionem de novo prouincie Polonia Conuentuum anhelare. Ideo nos, quibus cordi, ut Pax & tranquillitas inter Religiosos sit & consuetetur, qui que per prædictas nostras confirmatione dictorum privilegiorum, ad talem qualis nobis data fuit, informationem concessas, nemini præiudicium inferri posse suspicabamur, & licet ipsa confirmatione a nobis, addita illa clausula, quatenus sint in usu, nec sint renocata, aut sub aliquibus reuocationibus comprehensa satis limitata videatur, & forsan nihil operetur, nihilominus oriri ex illa aliqua dubia inter fratres prouincie Poloniae et nouæ Congregationis in Russia, & ex hinc aliquod præiudicium eidem prouinciae Poloniae vel Congregationi, seu aliqua scandala aut tumultus occasione earundem oriantur. Neue quispiam, cuiusque conditionis & status, vigore earundem litterarum pretendat separationem aliquam, alicuius ex Conuentibus prouincie Poloniae, de mandato Clementis V III. predecessoris nostri restitutis & debitiss, aut ex eis erectionem forte illius extinctæ prouintiæ Sancti Hyacinthi de Russia, vel etiam societatis peregrinantium inter gentes restitucionem. ideo prædictas nostras litteras, quarum initium est, iniuncti nobis Apostolici &c. imo & propositori cautela, & pace inter dictos fratres prouinciae & congregationis prædictæ firmanda, quantum opus est de novo, etiam prædictorum predecessorum nostrorum litteras, videlicet Gregorij XI. que incipiunt. Super cuncta desiderabilia. Romæ 5. Kalend. Februario. Pontif. anno octavo. & Pij Secundi, quarum tenor incipit. Dum lenamus. Pridie idus Junij.

Iunij. Pont. ann. 6. & Sixti quarti, quæ incipiunt, Apostolica seruitutis officium. Romæ Kal. Aprilis. Pont. anno secundo, necnon aliorum Romanorum Pontificum priuilegia societati Peregrinantium concessa, tenores eorum perinde ac si de verbo ad verbum insenserentur, præsentibus pro expressis habentes, ac omnia & singula in eis contenta, & earum vigore quacunque hactenus attentata, vel forsan secuta, quin & ipsam societatem peregrinantem, ab & in ordine Prædicatorum, iam olim extinctam, motu proprio, non ad alicuius super hoc nobis oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & matura deliberatione, ac de plenitudine potestatis Apostolica, tenore præsentium perpetuo extinguimus, casamus, reuocamus, irritamus & annullamus. Nullumque robur præsertim quoad prætensionem diuisionis Conuentuum prouintiæ Poloniæ, qui sunt in magno Ducatu Lituania, Russiæ & Yppodoliæ, atque dictæ Congregationi in Russia applications, ac si nunquam emanassent habere volumus; ac præsentes nostras litteras, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu etiam intentionis nostræ, aut quopiam alio defectu, etiam ex eo quod dictæ Congregationis in Russia frates, seu alijs in præmissis interesse forsan habentes, vel habere quolibet pretendentes ad hoc vocati non fuerint, notari seu impugnari, vel ad terminos iuris reduci. Sicque per quoscunque Iudices & Commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam S.R.E. Cardinales, etiæ de Latere Legatos, ac causarum palatiij Apostolici auditores, sublata eis & eorum cœlibet, quavis aliter iudicandi & interpellandi facultate & auctoritate, ubique iudicari, ac definiri debere. ac irritum & inane decernimus, si secus super his, a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Leopolien. Episcopo Triemislien. Luceorien. Cameneccen. Chelmen. & Kijouien. per præsentes mandamus, quatenus ipsi vel unus eorum pro parte prouincialis & fratrum prouintiæ Poloniæ requisiti, præsentes litteras sollemniter publicantes, in præmissis efficacis defensionis presidio eisdem assilant, neque permittant eosdem pretextu predictarum litterarum in possessione Conuentum pacifica molestari. Contradictores quoslibet & rebelles per censuras & pœnas Ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris & facti remedia, appellatione postposita compescendo. Inuocata etiam ad hoc si opus fuerit, auxilio brachij secularis. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac dictæ Societatis, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statuis & consuetudinibus, priuilegijs quoque ac indulxit & litteris Apostolicis eidem societati concessis, quibus omnibus, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, hac vice duntaxat, specialiter & expresse derogamus. ceterisque contrarijs quibuscumque. Non denegemus, tamen fratribus dicti ordinis tam prouincie Poloniæ, quam nouæ Congregationis in Russiæ, a suis superioribus deputatis accedendi ad partes infidelium illosque ad fidem Catholicam conuertendæ, facultatem. Quibus omibus & singulis, non tamen vigore priuilegorum Societatis

Societati Peregrinantium, concedimus, ut in locis in quibus nulla subest commoditas Ecclesiarum consecratarum, etiam in Oratorijs, & rbi necessitas vrget, in Altaribus portatilibus myssas celebrare. ac dum inter infideles & schysmaticos demorari fuerint, a casibus, etiam Episcopis reservatis, quo scunque Christi fideles, in illis locis tantum in quibus Episcopi & eorum officiales non fuerint, aut iurisdictionis exercitium minime habuerint, absoluere: Domos & Ecclesijs prouincia & Congregationis huiusmodi, cuiusvis licentia super hoc minime requisita, in illis tamen locis, in quibus Episcopi ut supra non fuerint, edificare, libere & licite, possint, authoritate & tenore praesentis concedimus. Ceterum in locis in quibus Episcopi fuerint, istos Regulares venerabilibus Fratribus, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs inferiorum Ecclesiarum Praelatis commendamus, ut cum alicuius Ecclestæ seu monasterij erectionem postulauerint, illis pro eorum iuribus prompte faueant, ac in omnibus adiuuet & protegant. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, fideis adhibeatur eadem quæ ipsis praesertibus adhiberetur, si forent exhibiti vel ostensa. Dat. Romæ apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die 10. Iunij. 1606. Pontif. nostri ann. secundo.

Octavianus Vestrius Barbianus.

Hæc de Societate Peregrinantium ex authographis scripturis, quorum monumenta afferuantur in Archivio prouincia Polonia.

## C A P V T Q V I N T V M.

### De Viris Sanctitate ritæ illustribus ex prouincia Polonia Ordinis Fratrum Prædicatorum.

**G**REGIIS Fratrum prouincia Polonia operibus, sanctimonia vite se oculis hominum subiicit, ornamentumque virtutis in medium procedere iussit. Producam igitur in hoc theatrum viros moderatione animi insignes, qui mentes suas impotenti temeritatis incursu transuerti & ferre non passi sunt. Sed ad eam morum compositionem se finixerunt, qua reprobationis mortuus est vacua, & laudis questu opulentissima. qui que id dies noctesque voluebant, qua ratione pressa terrena mole, deuinctisque corporeis malorum incentiis, ad Celatum similitudinem transirent Diuinæ consortes naturæ. Ea ritæ sanctimonia in clarissimis viris, aspice quam mitifice resplendeat.

B. Ceslaus  
& socius S.  
Hyacinthi.

Primus itaque ab Apostolis, in Albo eorum occurrit Beatus Ceslaus, arctissimis sanguinis, dignitatis & Religiosi instituti sub Magisterio D. Dominici vinculis, Sancto Hyacintho fratri vterino adnexus. Huius ordinum ritæque pregressum ex annalibus Vratislauien, Ecclesiæ, antiquitas non

non compto quidem sed ingenuo sermone complexa est, in prælectionibus matutinarum precum festiuitatis eiusdem Beati.

Beatus Ceslaus filius Eustachij Comitis de Konslue, de domo Odrouan siorum in prouincia Oppoliensi tunc Regni Poloniæ, diœcesis Vratislauiensis ortus, Sancti Hyacinthi frater natura, socius institutione religiosa fuit. Cui tale nomen Ceslaus in baptismo, non sine quodam præfigio & Ex officio B.  
Ceslai anti-  
quo Vrati-  
slavia recusa-  
so an. 1602. instinctu inditum esse videtur. Nam ex Polono interpretatum, honorem & gloriam significat. Qui iuxta nomen suum, 'Deo & sibi, ex incorrupto bonæ conuersationis odore, & ex piorum conatum venustate, omnique Sanctorum virtutum genere, honorem & gloriam procurare satagens, non solum nobilitatis suæ lineam, verum etiam totam suam patriam, & circumiuicinas regiones decorauit, & splendore affecit illiſtriori. Tenerioribus annis innocenter decurſis, Theologie iuriisque diuini & humani scientia affecuta Bononię Diuo Hyacintho non inferior, ab Iuone Patruo in Canonicorum numerum, adiuncta prælatura custodia Sandomiriensis Ecclesiæ cooptatur. Qua in dignitate, velut lucerna super candelabrum positus, sanctitate vitæ, & pietatis exemplo, alijs longe præluxit.

Religionis postmodum toga, vna cum S. Hyacintho, in Monasterio S. Sabinæ indutus, sub B. Dominici Patriarchæ disciplina tantos profectus fecit, vt in vigilij, iejunijs, carnis maceratione, orandi studio, pijs meditationibus & contemplationibus, ac demum in ipsa humilitate, feruenti prædicatione, denique in ardentissima erga Deum & proximum charitate, verus esse dignosceretur imitator & filius Beatissimi Patris Dominici. Ad Septemtrionem delegatus cum Hyacintho, cū primum eius iussu Pragam Metropolim Boemorum, siue ex itinere, siue e Cracouia dimissus, accessisset, verbo vitæ ignita acrimonia prædicato, simul cum B. Henrico Mrauо itineris & laboris comite, multorum animas Christo lucrificet, & Monasterium ad S. Clementem, pietate Principis & Episcopi, breui temporis spacio fundatum accepit.

Silesiam appellens, in eius Metropoli Vratislavia, Ecclesiam S. Adalberti, munifica liberalitate Laurentij Episcopi suscepit. eique Conuentui, ex quo sanctitatis eiusdem fama vniuersam Silesiam peruagante, multa Monasteria Silesiæ constructa sunt, cum summa dignitate primus præfuit. Nam vestigijs patris sui Dominici insistens, totus Diuino ardebat igne, quo frigidissima mortalium peccata, ad cœlestium amorem incendebat. Miraculis innumeris viuens & vita funestus, sanctimoniam virtutum illustrabat. Viuens, puerum aquis ab octiduo suffocatum, ad huius lucis usuram reuocauit. Tres alias mortuos, vitæ reddidit. Tartarorum immuniter bacchantium, ferro flammis per Silesiam, longe lateq; populantium innumeram phalangem, supplici oratione ad Deum fusa, a Vratislauensi Ciuitate fugauit.

Globum igneum super caput Ceslai orantis, tunc ab hostibus obsiden-  
tibus

tibus conspectum fuisse, referunt. Cromerus paulo aliter refert. Ceslaus, ait, vñus de comitibus Iuonis Episcopi Cracouen. Rōmā Diui Dominicū institutum professus, praeerat Conuentui Vratislauensi, apud Diui Alberti. Eo igitur iugib⁹ precib⁹ & lachrymis Dei misericordiam, & presentis periculi depulsionem implorante, ecce columna ignea Cœlitus apparuit, & stativa Tartarorum, omneque territorium, ingenti atque terribili fulgore collustravit. Hoc miraculo Barbari perterrefacti, nihil cunctati, obsidionem soluerunt. Addunt Annales. Prophetia insuper spiritu Ceslaus dotatus, multa ventura prædixit, multa occulta patefecit. Turgentia aquis ex crescentibus flumina, cappa supposita, siccis traiecit pedibus. Hominibus languidis, sanitatis desideratæ beneficia contulit. Vitæ tandem cursu sancti Time transacto, laborum suorum coronam & præmium legit aspiciens, Beato fine quieuit. Anno salutis 1242. Vratislauia se puitus, inter Apostolos inenarrabili luce curruscans, a quadam sancta Moniali clare visus, ad nostra vsque tempora, miris splendet prodigijs. Non multis ab hinc annis, Vratislauia igne flagrante, super aera conspicuum se ostendit, ab incendio protegens suæ requiei Depositorium, sancti Adalberti Monasterium.

**B. Henricus**  
**& B. Hermannus**  
**sc̄i S. Hyacinthi.**

Cæterum ut neminem Ceslao prætulerim, ita Beatos, Henricum Morauum & Hermannum Teutonem socios merito illi comparauerim. Par institutum omnium par vitæ continentia, par contemptio terrenorum, & cœlestis Philosophiæ studium. Flammis diuini amoris ijsdem, æque exstiens animus eodem zelo amplificandæ Christianæ & Prædicatoreq; Religionis flagrans desiderium, simili gradu pietatis, iustitiae, innocentiæque decursa vitæ meta. Beatus Hermannus, multis Teutoniæ excitatis Monasterijs, Oppolia in Conuentu ordinis dicitur quieuisse anno Domini 1245. de quo hoc reliquit ex alijs monumentis Ferdinandus. Hermannus tota exercitatio & opus, cū ab opere extero vacaret Oratio & meditatio, præsertim vero passionis & mortis Christi, in quibus suauiter deliciabatur. Frequentissima illi erat in ore, ea formula quam Ecclesia prescripsit, quam ipse poplite flexo, multis cum lachrymis promebat. Adoramus te Christe, & benedicimus tibi, quia per Crucem taā redemisti mundum. Eam ille semel, ex intimo corde eructans, videt extemplo Saluatorem se ante suos oculos, visibili specie præsentantem. Pauet ad Majestatem Dei radiantis. Auet tamen adorare, & semet proprius apparentis conspectibus sistere. Admouet eum suis vulneribus Christus, & e singulis, pretiosissimas sanguinis sui guttas anhelanti instillat. Mero hoc inebriatus Hermannus, fel & venenum esse omnia mundi oblectamenta iudicat, fastidit, abhorret, nihilque illi præter Deum, & eum crucifixum suauiat. Beatissima quoque Deipara Mariæ imago, eius semper obuergetur obtutibus, cuius viscera coelo capaciora demiratus, illis quod Deum mensuī, nouem mensum spacio baulascent; cordi virginēo quod su-

prahuminumimo & Angelicum captum supradentibus rebus fidem adhibuisse: vberibus quæ omnia largiter palcentem pauiissent: manibus quæ amictum lumine fascijs cinxissent, brachijs quæ gestassent, ori quo balbutienti pusioni lauasset, Beatitudinem obuentam gratulabatur. adque singulorum pudicissimæ Virginis membrorum, verecundam cōtemplationem, humiliis, salutationem Angelicam pangebat. Ab imagine extera Virginis pulcherriæ, ad longe venustiorē mentis eius ideam transferrebat interim, & incredibilem fidem, demissam humilitatem, ardentissimum amoris incēdium, puritatem supra Angelicam, moderationem animi, iustitiae robur, aliarumque ab intus manantium virtutum fulgetra vel potius lumina nuspiam in creatura quapiam visa, venerabatur, inque Paradiso isto in quo Trinitatis supernæ præcellentes personæ, sua oblectamenta capiunt, cogitatione verebunda exspatiatus, ad singulorū mentis Virginice ornementorum nuncupationem, salutationem Angelicam dulciter ingeminabat eiacuans lepius. Iesu suauissime, dignare me meam & tuam Matrem super omnes ipeciosam ore laudare, corde admirari & imitatione operis insequi. Tantum Beatissinam cœlorum Regiam recreauit, eius ardenter deuotio, vt ipsa quoque se illi visendam, vna die Sabbatorum præbuerit, nouisq; gratiarum charismatis eundem adauxerit. Præ contemplationis studio, non nullum actioni vacabat. Quare totus absorptus in spiritu, & quasi extra se quoque raptus, aliorum saluti non adeo inuigilare satagebat. Quamobrem, a multis, pro ignaro & ignavo habitus, contemnebatur. Orationis quoque frequentior usus quam communis, non nihil alijs displicebat in eo; hinc despiciencia, hinc murmur contra Sanctum oriebantur. Mouit ea res paulisper Sanctum, & Mariae Martham, scilicet, contemplationis studio, agendi animarum salutem sedulitatem nectere cupiens, prosternit se in oratione.

Flagitat filium per Matrem dignetur illi, tantillum delectationis spiritualis ex delicio illo mentis interno detrahere, & tantundem intelligentia scripturarum remenso dono concedere. linguam deinde balbam, vt olim Moysis ex visione inuisibilis ardoris, dissoluere, & ad laudes diuinæ perficiendas, adque destruendum inimicum & vltorem, instruendos vero amicos Cœlum præparare, aut aliquo carbone supra mundano perire. Percussit flammeo eloquio, præparauit & exsoluit, & instruxit mox, mentem os & fibras Hermanni Deus, ad prædicationem Euangelij Pacis, vt scientia infusa diuinitus, Theologos, eloquentia vero pone Paulina, Oratores inumeros post se relinqueret. Latino, Alemanno, & alijs sermonibus promptissimus in dicendo, felicissimus in capiendo nomine quoque ad frugem meliorem erat. In consilijs efficacia, claritate & facilitate tanta, inumeros vt prava iam obiecta mutare coegerit. Christo plurimis progenitis, Sancto fine decessit Oppolia. Morienti & ad cœlos migranti, Crux aureis radijs pellucida super Ecclesiam Sole lucente appa-

rens, insigne testimonium dedit sanctitatis eius, & Crucis Christi predicatione, atque ab eo iugiter in corpore delata.

*Leand. li. 6.*

Beatus autem Henricus laborum Cestai consors, in eodem Cœnobio Vratislauien. fertur diem clausisse ultimum. Sic de illo ante Leandrum Humbertus in Chronicō ordinis. Henricus Polonus Cœnobij Vratislauien. vir Deo deuotus, & hominibus charus, ad extremam horam deductus, cum iam Eucharistia & extremæunctionis Sacra menta deuotè accepisset Crucem quæ ante se posita erat intuens, cœpit diligenter deficien tibus iam viribus, finem huius Antiphonæ decantare. Securus & gaudens venio ad te: ita ut & tu exultans suscipias me discipulum eius, qui peperdit in te. Cumque Frater qui aderat, ab eo quæreret. Quid videret? Ait. Video Dominum meum Iesum Christum, & Apostolos eius. Et quærenti. Vtrum eorum Collegio sociari deberet? Respondit. Et omnes, aiens, qui Patrum nostrorū instituta seruant, eorum in ordine collocandi sunt. Et in Crucem defigens lumina, dulciter ridere, plaudere que manibus cœpit, vultu, oculis, manibusque gaudium ingens præseferens. Deinde post pusillum astantibus Fratribus & orantibus ait. Adhuc Dæmones, & adstant fidem meam subruere volentes. Sed ego, Credo in Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. Quibus dictis, spiritum emisit.

*B. Florianus*

*B. Benedictus*

*B. Godinus*

Sequitur sanctum Hyacinthum, reor, prima in Propagatione spirituali futura. Florianus Benedictus & Godinus, Secretorum Hyacinthi conscientia, charismatum meliorum amulatores. Diuinarum apparitionum & reuelationum oculati testes, miraculosè per rapidissimum largissimo amne fluentem Vandalum, super aquas tumentes strato pallio a sancto Hyacintho vesti. Quorum alter, scilicet Benedictus Monasterio Gedanensi, Godinus Kiiouïensi prælatus, Beatus vero Florianus, individuus S. Hyacinthi comes, in Conuentu Cracouien. sanctam in manus altissimi efflauerunt animam. Beati Floriani, putatur esse illud incorruptum venerandi senis Bustum, quod nobis spectantibus, anno Domini 1589. in communi sepultura Patrum Conuentus Cracoviensis repertum est; dum cuidam ex Sacerdotibus peste sublato, locus humationis peruestigaretur. Beatus autem Benedicti sacras reliquias, Gedani forte fortuna non ita pridem repertas fuisse, a furenti milite haeretico, maiores nostri, sua nostraq; memoria referunt. Eo enim tempore, quo Gedanum Stephani I. Regis Polonie sceptris subesse recusabat, & quo ingenti suorum emissorum strage obsidebatur, Praesidiarius miles a Gedanensibus pro statu is destinatus ad Conuentum S. Nicolai fratum Prædicatorum, vti misere diuexatos fratres prouinciae Poloniæ inde pepulisset, inque sacram & visualē suppellectilem monasterij manus impias iniecisset, in choro Ecclesiæ, reconditionum fore thesaurum, tunzione parietum explorans & exquires, in materiem muro obductam casu, per indicium notum incidit. Eaenim sono ad collisionem reboante, intus quippiam abditum pertendebat. Aperi-

tur

*Vittorinus*

*Condinus S.*

*T. Bac. Prior*

*Gedanen-*

*olim.*

tur illico rupto muro maceria reperiunt cancellis ferreis, vitroque perlucido, protecta ossa hominis Beati. Adorandum alicuius, præcipue vero Diui Benedicti corpus esse, signo honorificentissimæ sepulturæ cœiectantes, illam pretiosam corporis glebam, in profuentem Motlauam, ut fertur homines phanatici proiecerunt. Nemo fuerat, qui inestimabilis huius thesauri ignominiosam iacturam, vel sanguine mercaretur, Calunia-  
no furore, omnia diuina & humana susque miscente.

Illos autem Religiosissimos Patres, Diui Hyacinthi discipulos, & vir-  
tutis paternæ æmulos, Benedictum scilicet, quem S. Hyacinthus adhuc su-  
perstes, accepit in monasterio Cracouensi suum successorem & Prælatū :  
Boguslaūm, vices Benedicti agentem, Hieronymum Aeditum & Ioan-  
nem dictum Zarych Lectorem, necesse est ut angusto orationis ambitu  
amplectar. Memoriam gestorum illorum, nobis inuidit illud ædax rerum  
tempus iniquum, ne forte plus æquo meritis & titulis prædecessorum at-  
tollamus. Quid nobis profert scire, quod in horum manibus, Hyacinthus  
spiritum purissimum suo Plasti reddidit : quod si oculis suis conspexere  
sanctam Hyacinthi animam, cœlestes sedes recta ascendentem, quod hi  
ultimæ voluntatis Hyacinthi fidei depositarij, quod coadiutores & admi-  
nistri fuere, quod trinos radios, alterum ad caput, alterū ad pedes, tertium  
ad pectus immaculatum ad sepulturam, S. Hyacinthi superne delapsos,  
quod ad eandem Zegoras a morte ad vitam reuocatos, cæcos illuminatos,  
surdorum aures patefactas, manus aridas viuido humore irroratas, & alia  
sexcenta miranda apud idem Mausoleum sancti virti patrata, non sine ma-  
xima lætitia animi intuiti sunt. Præstaret & hæc delibasse scriptori illo,  
qui hæc reliquit: & expressisse satius quantam ex commertio Hyacinthi  
perfectionem sanctimonij & actionis assecuti fuerint. Fieri enim nequit,  
ne non summum euaderent, ex affidua communione eius, qui sumnum  
apicem virtutis attigerat. Benedictus (alter ab illo qui Gedani obiit) sa-  
cer, plus vigintiquatuor annos, Cenobio SS. Trinitatis, adhuc superui-  
ente Hyacintho, non sine insigni documento sanctitatis præfuit. Bogus-  
laus autem Supprior tanta opinionis apud Boleslaum pudicum Principē  
& proceres Polonia: vt ei cum reliquis Ecclesiæ Cracouensis Prælati,  
Boleslaus Princeps, Episcopus Cracouien. Joannes Prandotha, Kunegun-  
dis sancta, & vniuersus cœtus Regni, munus Legationis bis iniungeret ad  
Innocentium Quartum, pro vrgenda Canonizatione S. Stanislai Præsul.  
Cracouien. & Martyris. Qua ille feliciter assecuta, Cracouiam rediens, ab  
effusa populi multitudine, & ab vniuerso clero processionaliter extra  
mœnia cum Episcopo & Principe prodeunte, mirum est quam leto animo  
exceptus fuerit. Dlugostio teste.

At nescio, quomodo ab oculis nostris elapsi sunt, tres illi Frisacenses, pri-  
ma propago Xyacinthina. Beatus Vlricus, Beatus Helgerus, & B. Conra-  
dus. Iungit illos nostræ Provinciæ, eadem genitura sancti Hyacinti, ea-  
dem

B. Benedict  
B. Boguslaus  
B. Hierony  
B. Ioannes  
Sarichius.

M. s. pro Cæ-  
nonizatio. S.  
Hyacinthi.

Miechow. li-  
2. cap. 51.

Dlugofius :

Fernand.  
Castil.

dem institutio religiosa, & necesse est dicere, tunc vnitas prouinciae Poloniæ cum ea, in qua est Conuentus Frisacensis, in quo trinum hoc sydus irradiauit. Iungat igitur eos quoque & narratio, ex ea quæ est apud Ferdinandum de illis relictæ memoria.

B. Vlricus  
Frisacen.

Beatus ergo Vlricus Frisacen. a prædicatione S. Hyacinthi, in amorem supernorum exardescens, se illius disciplina dedit. In ordinem Prædicatorum adscitus, præter alias virtutes, quarum ideam in Hyacintho expressam imitabatur, contemplationi atque orationi intentus erat. Huius suffragio, quas non poterat prædicatione, curas circa salutem humanam supplebat, & quos nequibat verbi proloquo, profluuo lacrymarum, a peccatorum voragine abducebat. Ab eadem rerum Diuinarum contemplatione, sapè extra se rapiebatur, sensuum ministerio & vsu destitutus. Quam dierum feruentius orans, suavitate tanta perfusus fuit, vt sui oblitus, ac si saucius corde, radere, & gaudere, & velut nix a solis radijs, ita ille a diuinis fulgoribus liquefieri videretur, & quod olim sponsa, hoc Vlt. co felicissime contigit. Fulcite me, aiebat, floribus, stipate me malis, quia amore langueo, quia ignis exæstuans charitatis, depascitur viscera mea. Deo meo diem in hac flama viuo, & ardesco, in me morior & tabesco. Fuit incedium cordis eius tunc adeo ebulliens in corpus, vt illud sensim debitatum flaccidum, & spiritui iamiam exhalando proximum reddiderit. Sic ille nulla febre exustus, paralysi nulla dissolutus, nulla denique infirmitate prostratus, ab amore diuino, sternitur in mortalem lectulum. exinde animæ & corporis soluto nexus, igneo curru charitatis ferendus in Cœlum. Mirantur fratres citam mortem Vlrico imminere, mox poscenti, sacram Eucharistię Sacramentum, postremaque vñctionem promore ministrant. Recipit ea ille summo cum ardore, & in extasim rapitur. Immoto & sine sensuum officio decumbenti, illico facies splendore mirabilis effulget. Stupescit ad hæc supprior, qui solus in cubiculo remanserat. Interrogat, aperientem paulo post oculos, quid secum agatur. Nolentem fateri, vrget secundo & iterum, leuiori præcepto, narrare incipiat statum suum, nec aliquid reticeat. Conspexi, ait, Sanctum Paulum Apostolum, vna cum diuino Patre Dominico, me ad suum consortium inuitantes. qui & dixerunt, crastina luce, hora tertiarum me hinc e corpore discessum, modo flagito, nemini retuleris visionem meam, adulisque quo suum per Dei misericordiam sortiatur effectum. Illucescente tandem sequenti die, vocat Vlricus fratrem a seruitijs infirmorum, rogat, vt quam diligenter vertat & ornnet cubiculum, pro aduentu magnæ auctoritatis hospitum quorundam. Paret ille, & fratribus nunciat. Veniunt illi horæ primæ officio decantato. His circa lectulum demigrantibus promiscueq; orantibus, iubet. Date ait, locū Saluatori meo Iesu, nunc nunctecta hæc subintranti. Date & Sanctissimę Virginī Deiparā, Sancto Ioanni Precursori, S. Paulo, & alijs Sanctis, (quos singulos ex nomine proferebat) me miserum

rum inuisentibus. Date denique & Sanctę Agneti, S. Catharinę, S. Agathę, huic & illi & alteri Sanctę quas nominabat. Quędum fratres prostrati in terram, plorantes audiebant, ad signum tertiarum ab Aediuo datum, Vlricus e vita excessit, aggregatus glorię Sanctorum quos feliſ aspetit. Obiit circa annum domini 1236.

Sequitur Beatum Vlricum Helgherus, sanguinis nobilitate, honoris & diuinitiarum abundantia clarissimus, Comite insigni natus; sed ad amplissimam felicitatem ex religionis ingressu destinatus. In flore iuuentę, spretis illecebris seculi, opibus, & fucata dignitate quam vclani admirantur, calcata, Sancto Hyacintho se in disciplinam dedit. in qua progressibus innumeris factis, per virtutum gradus nexusque iter sibi ad Cęlitum favorem & Beatitudinem prestruxit. humilitate, modestia, continentia, probitate, abstinentia, ieunij, vigilijs, disciplinis, maceratione carnis, se ad eum modum excoluerat, vt omnes viuum exemplar virtutum illum suspicerent, Harum virtutum exercitio, laboribusque quos officio prioris fungens obibat confessus, migravit ad Dominum, non sine miraculorum opificio. quę Deus circa mortem Sancti viri operari voluit, in declaracionem Sanctitatis ipsius. anno domini. 1239.

Non minoris meriti apud Deum, & existimationis apud homines fuit, in eodem cœnobio, Beatus Conradus Frisacen. multis miraculis illustris: nam tres mortuos fertur in vita sua suscitasse. Excessit ei viuis, ad cęlestem patriam translatus, anno quo Beatus Helgherus suus prior. 1239.

Stylum iam vertamus ad Sadochum priorem Sandomiriensem, octo & quadraginta socijs martyribus stipatum; in hoc virtutis theatrum prouideuntem. Infracta ille animi constantia, genus mortis crudele pertulit pro Christi laude, ab immanibus Scythis.

Hi enim superioribus annis inescati, immani preda capta e Polonia, dum Principes Poloni socialia arma in inuicem exerunt; Nogario & Celebuga ducibus, Russis ipsis perfidis adiutoribus & ductoribus, ingenti agmine in Poloniam erumpūt. Intercepta Lublinensi arce, Sandomiriiam aduolant, incendunt, arcem die noctuque oppugnant, nullo defensoribus spatio dato respirandi. Ea denique fraude & dolō Ruthenorum dedita, in hominum cęde promiscua grassantur. Matronas tantum & puellas formiores, ad contumeliam & libidinem explendam (vt est gens libidinosissima) adseruant. Defessi cedendo, reliquum vulgus hominum git in Vistulam proturbant. Nocte antecedente cladem Cenobij, Bc Sadochus prior, deuotissimo fratribus grege vtrumque latus cinctus Ecclesia S. Iacobi Sandomiriensis, alij ferunt S. Maria Magdalena, pro cœlio matutino media noctis hora interest. Pro antiquo more religio Tyro indiculum Martyrologij ad diem sequentem retinens. exempli teris aureis exaratos characteres videt, eum in modum. Sandomiria: si quadraginta nouem martyrum. Legeret, an silentio obuclueret?

B. Helgherus prior Friſacen.

B. Conradus Friſacen.

B. Sadoch prior Sando- mirien. cum quadragin- ta octo mar- tyribus.

Cromer. li.

Miechou. li.

3. cap. 44.

Martyrolog.

antiq. tradit.

PP.

mi dubius fuerat. Timore tamen abiecto, cignea, licet trepidante voce oec-  
cinit aureum editum. Sandomiriae, Passio quadraginta nouem marty-  
rum. Lectione inaudita, obstupescit Sadochus, cæteri fratres rigent, ad ti-  
tubantem vocem, interque fauces hærenté, vtcunque tamen intellectam,  
pronūciationem nouitij. Diariā illam lectionem postulat videre prior, cu-  
piunt & reliqui pauore nimio perculsi sodales. Porrigit librū Tyro, aureæ  
litteræ cum notis Sandomiriae euanidescent. Diuina hæc est, ait Sado-  
chus, præmonitus fratres. Cœlitus delapsæ iste note, non frustra oculis in-  
nocentis obiectæ sunt. Non in auram, voces istæ ex ore balbutientis in-  
fantis, at nostris auribus insonuerunt. Auctor vite & mortis, nos ad im-  
mortalitatem inuitat. Eia per gladios etiam ancipites post vocantem, in-  
defessò pede camus. Vitam nobis eripiet Scytha? Quam? Fluxam, calami-  
tatibus obnoxiam, periculis vndique obiectam. Mortem inferet diram?  
At ea est nobis, in huius mundi fluctibus portus, in quem nos totis velis  
conuolare decet. At per eam, ad perpetis vita gloriæ, nobis iter apertum,  
cōficere licet. Reuocate oro in mentē fratres, & si quos animo adhærescētes  
habetis nēuos, sacra exomologesi auerruncate, expiate. Dulcissimo via-  
tico roborate spiritum, mox fœlicitissima sydereal regna penetraturi. Sem-  
piternæ laudis proposito ornamento, obnixo in omnes casus pectore, mu-  
cronibus iugulos vestros preparate. Moriendum est. Sed alaci animo. Pro  
his aris sacratis, pro his imaginibus Christi & Sacrosanctæ Deiparæ, pro  
hoc incruento viuo sacrificio, fortitudo nostra per patientiam exercenda  
est. Animati fratres diuino Oraculo, quod supereftemporis, totum im-  
pendunt preparationi in Adventum magni Dei, ex immo pectore suspi-  
rantes. O quando veniet optata illa hora, quæ nos terris sublatos, reddet  
cœlis. Felices nos, dulces gladios, qui nos Beatorum spirituum cœtui asse-  
rent. Suaissime Iesu. Sacra spes suspirantium Maria. quando tandem?  
Putas nos absument? an intactos relinquunt? Heu, quia noster incolatus  
protrahitur. Illuxit tandem illis exoptatissimus sol, quo terrena compa-  
ge soluta, ex hoc carcere euolaturi essent. Truculentissimi Scythæ, traiecta  
Vistula, Sandomiriam tandem populabantur, pars eorum magis cæteris  
efferata, templum S. Iacobi irruunt. Leones sanguinolenti, pastorem Sa-  
dochum, cum grege illo fratum deuotissimo, in medio Ecclesiæ, velut ci-  
gnos aliquos, extremam illam cantilenam Salve Regina, matris misericor-  
diæ suauiter occidentes reperiunt Barbarica crudelitate, omnes nullo di-  
scrimine interimunt. Interruptum morte canticum Diuę Deiparę Virgi-  
nis, cœlum petentes, longe suauiori harmonia prosecuti sunt, quam vo-  
ces mortalium possint efformare. Hanc frater quidam, qui se in superiori  
parte Ecclesiæ abdiderat vt audituit, illico descendens, sanguinolentis Scy-  
tharum gladijs se maestandum obiecit, comitemque se adiunxit fratribus  
in cœlum euntibus, & dulce melos tuum o Sanctissima Virgo personanti-  
bus. Miechouius ante Cromerum addit, quod hoc malum, dum Dole-  
slaus

Ilaus Pudicus, & Prandotha Ecclesiæ Cracoviensis Pontifex, Alexandro quarto Papæ, per nuncios Bodzantam Decanum, & Albertum Canonicum Cracoviensem, declarassent, visitantibus Ecclesiam S. Mariæ Sandomiriensis. (nam in eam illata erant Sanctorum corpora) parem Indulgentiam concessit Polonis & Peregrinis, quotannis die secunda Iunij, quam habet Ecclesia S. Mariæ ad Martyres, seu etiam maioris in urbe. annus quo hæc clades facta est, fuit 1260.

Non indignabuntur prouincie nostræ lumina, si post eorum extinzione fulgorem, Ioannis quoque Iuanouis, eam quam apud historiographos, reperi memoriae consecratam laudem, in medium protulero. Is dum seculo viueret, militari baltheo præcinctus, fortitudinis bellicæ, fidei infractæ & amoris insuperabilis erga Beatum Henricum Pium, dñe Hedwigis filium, insignem palmâ tulit, eo in prælio quo Tartari eundem Principem, non semel pectore Ioannis protectum, occiderunt. Nam, ut Cromerus refert, Henrici Ducis equo a Tartaris, frequentibus iaculis confoslo, Ioannes alteri ipsum imposuerat. Præt Ducem idem Ioannes, ac insequentes & obuios barbaros ferro submouet. Dum autem Henricus in prementem se maximè Tartarum sublato brachio gladium vibrat, ab alio quodam sub ascella percussus, moribundus de equo defluxit Ioânes imposito in aliū equū Duce, ferro per medios sibi atque Duci hostes aditū patefaciens, sauciis cum duobus ministris vix enasit. Quā cum Tartari per unum milia utrum per sequerentur, nactus Lusmannum quendam, & ipsum cum duobus fugientem, conuersus & ope erus fretus, octo de persequentibus se Tartaris peremit, nonum captiuum abduxit. addit Miechouius, postea Ordinem Prædicatorum ingressus, Domino cœli a quo protectus erat, devote famulabatur. anno dom. 1241.

Sine vñlis imaginibus nobilitatis, religiosum animum & idem vitæ institutum secuti sunt Beatus Sanctes pater cum filio Simone, quem a natuitate cæcum suscepserat. Gaudebat plurimum sibi natum esse filium. Sed & cruciatus ingentes perferebat, quia cæcum. Sexennio integro, nimis doloribus angebatur, & cum finem tantum tam diuturni mali, nullo medicorum auxilio inueniri videret, vnicam remedij opem imperatulum se creditit, si ad diuos configureret. Ad sepulchrum igitur S. Hyacinthi accurrit, ducit secum Simonem cæcum, fusisque ad Deum ardentissimis precibus, intercessionem sancti viri depositit. Fidei tandem & spei plenus, Simonis faciem & oculos sepulturæ Hyacinthi admouet, applicat. Mirum factu, in temporis momento, Simonis aperiuntur oculi, lumenque integrum ei restituitur. Non diu turna tamen fuit hæc lætitia Patri & Simonis, Deo vtrumque ad meliora, casibus huiusmodi vocante & trahente: domum reuersus Simon, semestri euoluto spatio, febre acutissima corruptus, agonizat animam. Sanctes in terram prostratus, gemitu & eiulati bus omnia compleat, & ubi eos in ventum profulos videt, ad beneficium

B. Ioannes  
Iuanouius.  
Ioan. Dlugof  
fius.

lib.3. ca.38.  
B. Simon &  
B. Sanctes.  
M. spro ca-  
noni. S. Hyac-  
inthi.

suum iterato reuertitur, eique tale votum pro filio nuncupat." O Sancte vir Dei Hyacinthe, dignatus es olim filium meum cęcum illuminare, digneris quoque nunc eundem, quem mihi mors eripere conatur, ab eius falce vindicare. Hunc si liberaueris ab hac qua præmitur mortali infirmitate, eum tibi deuoueo, dedico & consecro. nec ipsum modo, sed & me pauperculum, si non deditgabuntur fratres sui religiosissimi, me tuę religioni nuncupo. Non incassum fusę preces Sanctis fuere. Pari studio petitum ac latum est præsidium. Qui iam vltimum efflabat spiritum Simon, mox miraculose electo in columnis prosiluit, vota, gratique animi significationes Diuo Hyacintho, ad eius sepulturam ex soluit. Religionis veste vterque induitur, in qua religiosissime & sanctissime, pluribus annis Deo militantes, ex hac vita ad celestem patriam demigrarunt. Miracula hęc parata sunt, anno salutis. 1289.

B. Zegocius.  
M. s. superior  
liber.

Referam etiam quod ante superiores annos nimirum anno 1274. factum, & suo seculo cognitum, de Beato Zegocio, memoriæ traditum est. Isachduc secularibus curię & mundanę conuersationis inuolucro licet de cleri numero esset, detentus, quadam die deuotionis ergo ad sepulchrum Divi Hyacinti ex osculandum accesserat, & dum nihil minus, quam religionis Prædicatoriae ingressum voluit in animo, e mausoleis Sanctorum Hyacinthi & Viti, miram odoris suauissimi fragrantiam redolere, non sine maxima voluptate persensit. Persensit tunc & internam quandam Diuini spiritus energiam, qua addicendum vale rebus perituri pelliciebatur, & virtutis iniuse efficacia impellebatur. Annuit ille motioni supernę, datque manus Ordini in Conuentu Cracouien. Sanctissime Trinitatis. In quo sepius consors & compos Coelestium deliciarum, & sanctissimam vitam ducens, laudis summum tulit prēmium. Non semel, eandem odoris suaveolentiam, ex illibatis Sancto ium istorum corporibus, se sensisse, eademque toties recreatum fuisse, adiecto iuramento humili, pro eorumdem non sua astraenda gloria, confitebatur.

B. Thomas:  
Leand. li. 5. Eminent quoque virtutis laude inter nostros maiores, Beatus Thomas de Grossis ex Borussa oriundus, vir ille, vt Leander monstrat, sane doctus & rectus, in oratione assiduus, atque meditationi totus intentus, & in actione sollicitus, plenus sanctitate ad Dominum migrauit.

B. Conradus. An frater vterinus, an vero patruelis Thomę fuerit, Conradus de Grossis Prutenus, vir, narrat Leander, vię commendabilis & famę laudabilis, pęnitentiarius Papę, insignis verbi Dei concionator, & animarum zelator præcipius, ac iussu Raymundi Capuani generalis magistri, ad prouinciam Germaniae missus, primus in eadem prouincia Ordinis nostri institutorum ac ceremoniarum instaurator, & per quem Dominus Magnalia operatus est. Post ingentes quos pro Christi Iesu gloria, pro que reformatio ne irregularis vita pertulit labores, & tate cōfectus, anno salutis 1426. apud Monasterium Sororum in Stonemstem bath sancto fine quieuit, & ante aram.

aram maiorem sepultus est. De hoc Niderius in suo Formicario. Quidam miles, animam liuore vindictæ fauciā habens, ad se reuersus, confessorem prudentem adjit, videlicet fratrem Conradum de Prussia, nostri Ordinis primum reformatorem in Teutonia, virum omni laude dignum. Qui postquam intellexit animam confitentis esse vulneratam ad mortem, ait Domine, nisi demiseritis proximo delicta, rancorem scilicet, salua vestra iustitia, quam coram legitimo iudice prosequi iuste poteritis, nec vobis dimittere possum vestra peccata, fuisit itaque pater animo quæ potuit, sed nihil vel modicum profecit, nisi quod reus se patienter sustinuit. Nam Confessor eum non absoluit, sed stigmatibus Christi quinque, & insignijs passionis eius, pro gratia impetranda, quæ cor durum emollirent, quinque orationes Dominicas, quotidie dicere iniunxit. Recessit miles satis tristis & impenitus. Et vix sex menses elapsi sunt, quando redijt compunctus & contritus, beneficium Sacramenti pœnitentiaz ab eodem Conrado postulans.

Patrum quoque nostrorum vetus traditio nobis prodidit, Cenothaphijq; tabula exp̄resserat, tres illos Beatos in oratorio Sanctiss. Rosarij placide in Domino quiescentes, post Sanctissimi Sacramenti refectionem, ad fruitionem cœlestis voluptatis, vno horæ momento sublatos. Vno illi die habitum religionis lumperunt, ijsdē institutis efformati, puritatis, sanctitatisque conspicuae, illustria specimina dabant. vno quoque die Proparscheues, nempe feria quinta magna, ea qua par erat cordis innocentia, devotionis ardore, lachrymarum imbre, dimissaque abiectione, Sanctissimo Eucharistiæ edulio recreati, dum pro antiqua prouincie consuetudine, ante aram maiorem prostrati, gratias Deo persoluunt, exanimes fiunt. Terror maximus omnes subito incensit, ex repentina morte horum. Omnes fratres rebantur, illos contaminato ore, cum Iuda Proditore, Christi mensæ communicasse, iustoque Dei iudicio tam citâ morte percussos esse. Trahunt in eandem sententiam secum, suspiciosem maleque credulam plebem, quæ inopinato spectaculo plurima intererat. Itaque sine ecclesia sticis ceremonijs, sine sacra Myssæ oblatione, sine precibus priuatiss, sepultura asini sepeluntur. Sed non sinit ille, cuius consilia sunt abyssus imperscrutabilis, tam probrofa illoshumatione mulctari, preciosaque eorum corpora, quæ spiritu suo diuino repleteuerat, despiciui haberi. Permisit Beatis illis manibus, vt gloriam qua perfruuntur, in extasi amoris igniti ad eam translati, priori conuentus declarare possint. Apparent itaque priori vigili aliquoties, & vult quidem placido, effulgentiq;, animarum suarum splendorem illi demonstrant, sed hæsitantem, verbis acrioribus compellant, quod iudiciorum Dei ignarus, eos tanto & tali dedecore afficeret, ni eos cum honore sepeliat, reduces ex campestri loco, in quo projecti fuerant, vereatur seueriorem diuinę iustitię animaduersionem. Terzio apparent, eidem priori titubanti & cunctanti, hosque sermones ad

Tres Beatis.  
Ex tradit.  
Pot. pler. q.  
Fabian. Bir  
cou.

eum constanter proferunt. E heus pater, ne mirere, neque deterius aliquid nobis accidisse suspicare, quod tam facili morte præcepti fuerimus. Abstrecti a corpore, illico altissimas sedes petimus. Ab his aris, ad mensam cœlestem locum obtinuimus. Te igitur monemus & hortamur, corpora nostra in Ecclesiam transferre cures, a qua per te immerito proscripti sumus. In cuius tamen communione, & superstites, & mortui gloriamur. Paruit tandem monitis pater, & in Sacellum tunc trium Regum, nunc Sæctissimi Rosarij titulo decoratum, cum maximo plausu populi intulit. Cogitantibus omnibus, temeraria iudicia hominum esse, de finibus præsertim bonorum.

Memorant Seniores, Bonam Sfortiadem Sigismundi I. Regis Poloniæ coniugem, Sacellum illud pro deuotione, magna sceminarum caterua comitatam inuisentem, vnam inter eas ceteris petulantiorem duxisse, que dum lapidi, quo Beatorum corpora teguntur parum reverenter institit, nescitur a quo spiritu, vestibus pompticis, in oculis omnium spoliatur, doceturque dominum Dei & Sanctos eius decere sanctitudinem. Vestis illa prodigiose, e petulca puella detracta, denuo recisa, sacris vīsibus pro altaris palla cessit. perpetuum monumentum insolentię aulicæ, & cultus Sanctorum.

Nostro quoque tempore, diuinus ille Melchior prouincialis, dum noctu orationi instaret, in superiori S. Hyacinthi Sacello, per prominentem inferius fenestram, locum sepulturæ eorum, lumine corusco radiare saepè sepius intuebatur. Sed & anno domini 1601. dum nostra aliquali opera altare Sacelli transferretur, & pro Archiconfraternitate Rosarij locus ille adornaretur, & vt sit in motione lapidum grandiorum, lapis quoque sepulchri Beatorum, de sub gradibus altaris nonnihil commoueretur; a circumstantibus plurimis, odor quidam quasi rosarum aut liliorum flagrantissimus sentiebatur, ex sacro illo repositorio exhalare, index intemeratae illorum castimoniae atque integerimæ probitatis. Scriptura Cœnotaphij a P. Melchiore exsculpta, paulatim exoleuit, terentium pedibus, quicunque illum frequentissimum esse volunt.

*B Stanislau Tradit. pp. Cenotaphij tab. Extat diplome pergamini.*

Beatus quoque Stanislaus Kokoska S. T. Bac. vir erat, vt eruditione præstantissimus, ita & sanctitate vîte venerabilis. Plurimam tulit operam Innocentio octavo Pontif. Maximo, eiusque commissario F. Alberto de Secinie prouinciali Poloniæ, anno domini 1489. in illa pia exactione Regnis Poloniæ, Boemiarum, Dacie, Sueciæ, & Noruegia, ac vniuersitate Germaniae induta, contra perfidissimos Turcas & Tartaros. Erat iste pater, in cōcionibus feruidus vitiorum obiurgator: in oratione & contemplatione pernox, in custodia sensum follicitus, in mortificatione sui rigidus. Ante imaginem Redemptoris nostri in Cruce passi, quæ in Angi portu Ecclesiæ Sanctissime Trinitatis, vt antiquitate, ita veneratione singularis prostat in altari, lapius eum orasse tradunt. Supra cuius in oratione supplicis caput, sape

sapè visabantur radij, in globum flammeum reuoluti, pignora splendoris illius, quo omnes qui Christi imaginem in se expressam referunt, perenni claritate illustrabūtur. Audiebantur & sermones durissimi ab imagine Crucifixi, quos Saluator orbis cum Stanislao miscebat, & seniles illas vitæ molestias (annos quippe centenos vita suę numerabat) sollicitudinesque anxias, quas ex longo incolatu suscipiebat, suauiter leniebat. Is aliquando ante imaginem B. Virginis Deiparæ, quę in ara dormitorij extat, parum decenter indutus, orans, flagris ab Angelo admonitus est, ut maiori veneratione, columbinis pudicissimæ Virginis oculis, se in postrem sisteret. Aliquando etiā in angi portu secunda, quę tunc lignea erat, circa cisternam noctu obambulans, globosque precatorios voluens, audit singultientem quendam in cisterna, putat fratrem quempiam casu lapsum esse, vocat secundo, & iterum, nullus respondet, singultus tamen preteruolant aures eius. Spiritum aliquem insidias fratribus, vel sibi tendentem primo suspicatur. Verū vt erat, in hoc genere discretionis Geniorum probatus, signo Crucis fronti, ori, & pectori impresso, adiurat eiulantem, diceret, quinam esset: Cuius rei gratia illo loci delite sceret, subsideretq; quæ etiam causa singultuum? Anima sum, respondet, fratri illius qui nuper obiit, officij sui parum memoris, Purgatorij poenis hac in cisterna, iusto Dei iudicio deuota. Mirum putas, me in gelido fonte, flammis torri? Paschaliū illum urbis Diaconum, in balneo quoque easdem poenas exsoluentem, recogita, non mirabere. Secutus sum errantem, sequor erroris flagra olim sustinentem. Ceteras quibus respersus fui leuiores maculas, non tibi pando. hoc unum scias, fratresque desides officij admoneas ve- lim, me hic flammis Purgatorij ignis exuri, quod pro anima alterius fratris decedentis, psalteria consueta non recitauerim. Et quam, ait senex, gra uis est vredo, qua torqueris? Ignes alij, respondet, aura est tenuis, comparatione ardoris quo discrucior. Experiri volo, infert Stanislaus, hoc in mortali corpore, cruciatum quem afferis, modo vt partem aliquam expendam suppliciorum, quæ demerui. Non potis est homo, respondet ille, in firmitate circundatus, hæc perferre. Tamen si peruaci animo poscis, volam manus extende, guttulam sudoris mei excipe, me tuis sacrificijs iuua, fratribus suade, caueant, ne ob similes culpas, & equalibus plectantur poenis. Protendit ille manum, igneam quandam lachrymulam excipit, qua perustus, doloris immensi impatiens, vociferans in terram prosternitur semimortuus. Accurrunt fratres, confabulantis sermonibus, nec non clamoribus dolentis excitati. Seniculum iam exanguem & fere emortuum reperiunt. crebris flatibus & fotura, fugientem animam reuocant. causam doloris & casus inquirunt. Non diffitetur illa in se reuersus, hæcque posteris inculcanda indidem monet. Annum superstes fuit, cruciatus Purgatorij in exhausto corpusculo persentiscens. Demum sancto fine quietuit, sepultus

tus pone Crucifixi illam imaginem, cui toto pectore adhæressebat, atque deseruiebat.

F. Vincentius  
nouitius.  
Tradit p.

Tulit insigne decus virginie candoris, F. Vincentius, Religionis Tyro, in Conuentu Cracouien. quem Patrum suorum memoria Pater ille Melchior Prouincialis, diem clausisse extreum memorabat, tanta animi innocentia & simplicitate, ut cochlearia mensæ Patrum numerare nesciret, puritate vero, ferè Angelica. Circa agonizantem fratrem quendam peruigilias ducens, dum putat illum esse mortuum, & post pusillum se attollentem videt, timore nimio corruptus, animam niueo candore castimoniæ fulgentem efflavit, per manus Angelorum, virginum chorus infertus. Nostra memoria, dum cuidam ex Sacerdotibus (erat is P. Lucas peste sublatus anno Dom. 1588.) brumæ in sequentis tempore, in Conuentum ex Promnicensi prædio delato, sepultura quereretur, in communis fratrum sepultura, ferè in ipso ostio monumenti, repertum est eius exiguum, sed integrum corpusculum, genis roseo colore rubentibus, miram quandam gratiam spirans. Hinc emotum, a quodam plus æquo curioso Fratre, qui caput a reliquo busto, frequenti auulsione conuellere nitebatur, sed frustra, in interiori parte sepulturæ, non a vermis corrosum, neque tabo corruptum, sed integrum ut repertum fuerat, collocatum est. Admetnet me quæ situra hæc sepulturæ, ne venerandi Patris Ludolphi sanctam memoriam, silentio præteream. Nec plura de eo proferam, quam quod tunc multi conspererunt, dum Patri Lucæ sepulturæ locus quereretur. Aperitur sepultura quædam in loco Capitularibus actionibus dedicato, in Conuentu Cracouensi, de sub proximiori choro fenestra. Reperiuntur ibi duo viri semet, mutuis brachijs sub ascillis, post mortem prodigo amplexi, quorum vitæ propositum, cursum & exitum Epitaphij tabula, his pauculis verbis impressit, non vero quantum desiderabatur expressit. Hoc compressi lapide, Beati Manes requiescunt, vere Doctorum virorum; quorum alter Sarmata ex Secemino, Gnezen. Ecclesiæ Cancellarius, sacram literarum & V.I. Doctor, cui Dominico nomen: alter vero Ludolphus Germanica gente progenitus, S. Theologiae & ordinis Prædicatorum professor, idem & prælatus Prouincialis. Vtrique par probitas, par dignitas, par virtutis studium, par vitæ sanctimonia atque innocentia fuit. & si quid corporis dotes ad eam rem faciunt, par corporis proceritas, par robur. vtrique inerat. Nisi quod dicendi flore Germanus antebat Polonum. Qui paululum antequam moreretur, profectus in Hierusalem sitibundo desiderio concupiuit videre, ubi positus erat Dominus. Congruerat reuera hic ambos deponere, vt quos una dies sustulerat, unus locus tumularet. 20. die Martij 1519.

p. Melchior  
Vareci ma  
gister.

Tuam quoque memoriam Melchior Magister Vareci, nostris refricare oculis cogiturn. Pater iste nostra tempestate, pro contemplationis spiritu extaticus, ad eum modum extra se rapiebatur, ut præ dulcedine raptus, & in

& in oratione absorptus, nullius ex circumstantibus speciem uideret, aut loquentes uocem audiret. Maxime in res alienas lynccis oculis inquirēs homo quispiam, nihil in eo aduertebat, præter orandi consuetudinem assiduum. Noctu diuq; in templo orationi uacabat; ex quo interdum gelu obrigescens, a Fratribus in cellulam efferebatur. Energumenos frequenter a Dæmonibus liberabat, utq; illis terrificus esset, quatuor dies in hebdomade toto tempore uitæ suæ, in pane & aqua ieiunabat. Plurimis annis Conuentui Vilnensi prælatus, uirtutum omnium ideam, sibi subiectis fratribus se demonstrabat.

Tandem uitæ cursu sanctissime transacto, ubi exitus sui ultimum terminum, diuina reuelatione sibi imminere sensisset. Hodie, ait sanus & in columnis ad fratres, cum Diua Barbara Martyre (huic deuotus extiterat) mea cœnaturus sum fratres mei dilectissimi. Quamobrem oro, Patrem Supprietum mihi ocius quærите, coram quo expiæ meas maculas. Eundem nomine meo compellate, me ut sanctissimo viatico ad iter roboret, atque sacro oleo perungat. Mirantur fratres verba senis, sed corpore vegeti. nullo siquidem morbo tunc detinebatur. Aiunt ad eum. Non nos adhuc relinques pater suauissime, te enim robustorem, nec aliqua infirmitate quassatum videmus. Repetebat tamen ille sapienter. Hodie, hodie cum Diua Martyre mea cœnaturus sum. Interim adest Supprior P.F. Petrus Opatouicen. Hic vigentem & lachrymas fundentem Melchiorem, auctoritate diuina pro more Religionis plenariae absoluit, sanctissimoque Eucharistiæ Sacramento refecit. Hunc ille summa humilitate & ardore, prouolutus in genua suscipit. Extremæ deinde vunctionis Sacramentum instantius flagitat. Cunctanti Suppriori. Heus, ait, ne moras necesse. En in secretiori armariolo cubiculi mei, habes sacram pixedem olei infirmorum (ipse sibi parauerat, præscius mortis horæ) quo me ex Apostolico decreto perungi conuenit. Habes ibidem & stolam, & libellum precibus vunctionarijs destinatum, & bombycem atque stuppam abstersoriam, his visibus a me preparatam. Age, ne meus spiritus flammis infernalibus vel abstersorijs peruratur, iniunge hæc arida senilia membra. Celeste hoc oleum cupio portare animæ meæ illitum, ne cum fatuis virginibus excludar a sposo meo. at mage cum Diua Barbara mea, mihi pateant portæ supernæ, propter hunc laticem exultationis. Sedentem in lectulo senem, inungit Petrus Supprior, ille alacri voce respondet ad singula, Psalmis quia pœnitentia nomen habent, alterne cum fratribus ante recitatis. Tandem his sacris deuote procuratus, Crucifixi imagine correpta, pieq; complexa, & non semel purissimis lachrymis irrorata; quæ circa agonizantem fratrem orationes recitari solent, fratribus coram astantibus, eas sibi ipse accinit. His omnibus exactus, illam cantilenam. Subuenite sancti Dei, occurrite Angeli Domini, suauissima voce sua, præcentoris officio functus incipiens, Spiritum Deo reddidit, in Conuentu Vilnensi, anno Domini 1602.. Nisi

Martyrolog.  
Ratiborian.  
Tradit. foror.  
M. sif ex-  
pedit. Pro-  
vincial.  
Mechow.

Nisi flamma ædax, vna cum Conuentu Ratiborian. S. Spiritus, acta eiusdem incinerasset, relicta nobis esset plena relatio, de Beata sorore Euphemia, Domicilla Claustralii ordinis nostri, ex qua materiam haberent, viri laudandi Deum, qui in sexu quoq; fragili, mirabilis est: virgines Deo deuotæ, imitandi viuum exemplar omnigenæ perfectionis. Quæ tamen manauit pia traditione ad posteros, inq; monumentis antiquis Prouincie adumbrata est, eam accipe & suscipe. Nata Ephemia Domicilla Lesco Duce Ratiboria, ab ipsa ferme infantia, virginitatem suam, Christo virginum sponso consecravit. Teneros pueritiae annos, innumeris virtutum coronis ornauit, nempe orandi & contemplandi, in noctes usque protenso studio, carnis per inediā, insomnia, duritiem lectuli, disciplinas usque ad profusionem sanguinis, cilicij, imò & cathenæ ferreæ gestationem, perpetua maceratione, mentis humilitate demissa, pectoris munditia, cogitationum sanctimonia, cordis erga Saluatorem suum amore flagratiſſimo. usu sanctissimi Sacramenti frequentissimo, mirabilique vita totius innocentia. Annum excedens duodecimum, in matrimonium experta fuit, a Duce Brunsuiciensi & Marchione Brandenburgensi, quod illa constanti animo repudiauit, iam nobil. ori, speciosiori, ditionique sponso Christo olim deuota. Diuinis reuelationibus & apparitionibus, non semel dignabatur. Ante Religionis ingressum, in oratione vna noctium perseverās, & postmodum e fenestra cubiculi sui, versus Ecclesiā sancti Spiritus sororum claustralium Ratiboria prospiciens ab arce, trinos radios luminis insoliti vidit e cœlis descendere, supra illam Ecclesiam, inque medio radiorū columbam niuei candoris, in cuius specie, diuinus ille spiritus sapè descendere solet, introrsus monasterij tecta delabentem. Dum Religionis habitum inter missarum sollemnia susciperet, a tempore quo sacra hostia eleuata fuerat a Sacerdote, adusque sacram communionem, qua illa quoque reficiebatur, Angelorum concentus in aere, ab omnibus circumstantibus auditus est, latitiae index, quam coelites de hac Diua cœlibe conceperant. Adiecta illi Religionis veste, adiecit quoque illa virtutum exercitio, indefessos conatus. Dotis nomine opidum Iauoroum, cū septem pagis sibi a parentibus relictum, religiosissimo illi monasterio donauit, quod indigne ferendo postmodum Ianussij Patrui sui filius Nicolaus Dux Ratiboria, bona hæc opulenta per scelus inuaserat, occupauerat, & propria sibi fecerat, nequicquam in eū, & in filios ipsius Venceslaum & Ianuissium, sceleris paterni complices, Apostolica excommunicatione prolatæ. In summa pauperie & patientia cum alijs fororibus viuens Euphemia, miraculis multis præfulgens, & officio Priorissæ defungens, ad cupitos Iesu Christi complexus migravit, 16. Kalend. Febr. anno Dom. 1359. In naufragijs, morbis, & necessitatibus quam maximis deuotè inuocata, plurimis miraculosè succurrens, magna apud Ratiboriensis in veneratio[n]e habetur. Ingruentes quosuis casus Ciuitati, vel Monasterio[rum]

riorum, sic etiam mortes earumdem Monialium ab interius aliquot diebus percusso lapide sua sepultura; portendit & præmonet.

Simili sanctitate viguit soror, tertij ut uocant habitus, re & nomine Beata cuius corpus in Ecclesia SS. Trinitatis Cracouie in facelio stigniferae Catherinae Senen conditum est. Aperto enim eius sepulchro, tam sua uissimus odor, omnium nares perculit, ut aromatum apotheca, vel Librus Balsami esse sentiretur. Obiit anno Domini 1508.

Petrus Thib  
nen Episcop.  
Thelepinus  
& suffraga.  
Fer arce.  
Martyrolog.

## C A P V T S E X T V M.

## Archipræsules, &amp; Præsules ex Provincia Polonia.

**A**GMEN Præsulum, ut dignitate ita ferè tempore Prior, frater Martinus Archiepiscopus Gnesnen ducit. Is in aula sum-  
morum Pôtificum, suo tempore facilè Princeps, ac supremus Leand. li 3:  
Poenitentiarius, à Pontifice Max. Nicolao III. anno Domini  
1278. Ecclesia Gnesnen, præficitur. Qui ad Ecclesiam sua vigilancia cre-  
ditam, ab urbe regrediens, Bononia infirmitate corruptus, diem obiit ex-  
tremum. Ante chorum, pone capellam S. Thomæ Aquinatis à parte sinistra, ad maiorem aram ascenden. sepultus. Vir nobilitate generis, stren-  
porum, videlicet progenie illustris, virtutibus vero omnigenis, ingenij  
elegantia, & morum suavitate Pontifici, & Boleslao, ac Præmislao Prin-  
cipibus, in primis vero Ecclesia metropolitanæ Gnesnensis Prelatis, longe charissimus. In scripturis sacris, addo ex Trithemio, studiosus, & eruditus, & secularium rerum non ignarus, in declamandis ad populum sermonibus excellentis ingenij. Scriptis quedam preclara opuscula, quibus sui nominis memoriam ad posteros transmisit.

Dlugoff.

Trithem. de  
script. Eccl.

Equibus ego vidi

|   |         |                              |
|---|---------|------------------------------|
| Tabulam Decreti   | lib. i. | Inter alia quæcumque si.     |
| Chronicam succinctam  | lib. i. | Quoniam scire tempora summo: |
| Sermones de tempore   | lib. i. | Scientes quia hora est:      |
| Sermones de sanctis   | lib. i. | Ore fit confessio ad salu.   |
| De diuersis miraculis   | lib. i. | Quidam Paterfamilias:        |
| De Schismate Ecclesiæ Græcorum. in Bibliotheca Vatic. & Historiam de Guelfis. ibidem. |         |                              |

Alterius metropolitanæ Sedis Halicien. tunc, antequâ Leopolim trans-  
ferretur, Archipræsul B. Bernardus Martyr.

B. Berengarius martyr designatus Episcopus Cracouien.

Leander  
M.s.

B. Gerardus ex Provinciali primus Episcopus Ruthenorum.

B. Vitus primus Antistes Lituanorum { M.s. & Miechou. vbi supra.

B. Meinardus primus Episcopus Liuonu { Martyrolog. antiqu. Craco.

Fr. Gregorius S. Th. Magister & Ioannis Alberti Regis Poloniæ Eccle-

M.s. & ada  
Capit. Provo.

siastes, electione Capituli, & apud Alexan. Pont. Max. plurimum exposantes Regis precibus, Episcopus Vladislauien. circa annum Domini 1490.

F. Paulus Episcopus Posnanien.

F. Vincentis Episcopus Posnanien.

F. Bernardus Episcopus Ploken. is qui Vratislauiae consecrauit locum & altare Capituli fratribus.

F. Petrus Episcopus Ploken. ex prouinciali Poloniæ.

*Miechouius  
& Dlugoff.* F. Henricus ex prouinciali, Episcopus Culmen. Tenent alij Archiepi-  
scopalem titulum obtinuisse ab Innocentio Quarto.

F. Ioannes Episcopus Culmen. in Conuentu Bresten. sepultus ex prouinciali Poloniæ.

F. Ioannes Gzodlant ex Episcopo Culmen. quam multis annis summa cum dexteritate administravit, ad Hildesemensem. postulatis cruciferorum translatus, plenus bonis operibus, migravit ad Dominum, & in Ecclesia prædicta sepultus est.

B. Nicolaus Mag. ex prouinciali Poloniæ Episcopus Culmen. Hic bona Ecclesiæ sura à Cruciferis erpta recuperavit, & plenus vitæ sanctimonia migravit ad Dominum 1325.6. Kal. Octob.

*Cromer. lib.  
15.* F. Ioannes Opatouicen. a sacris Confessionibus Ladislai Iagellonis, Episcopus Chelmen.

F. Stephanus Armenus Leopolien. Episcopus Chelmen.

*Leand. &  
Bunfier. li. 3* F. Petrus summus Pœnitentiarius Nicolai Papæ Quarti, & Bonifacij Octavi temporibus, præsul Caminen. in Pomerania, dum ad Ecclesiam reuertit, Genuæ mortuus, in Ecclesia fratrum Prædicatorum sepelitur, anno 1598.

F. Vilelmus Episcopus Caminen. 1373.

*M. f. antiqu.* F. Gregorius Episcopus Volodimirien. in Russia, antequam sedes suis set translata Luceoriam. 1425.

F. Philippus Episcopus kijouien.

F. Michael Antistes eiusdem Ecclesiæ. 1439.

F. Ioannes Roza Episcopus Moldauiae.

*Martyrolog.  
antiq.* F. Stephanus Zaiaczeh Lector Episcopus Cereten. 1412. hic omnia sua conuentui Cracouien. reliquit.

F. Ioannes Sartorius de Cracouia, Episcopus Cereten.

*Martyrolog.  
& Tabul.  
annostaph.* F. Albertus à Secinię Mag. ex prouinciali Poloniæ, & Commissario Innocentij Papæ Octavi, Episcopus Theodosien. & Metropolitana Ecclesiæ Gnesnen. suffraganeus, circa annum Domini 1503.

F. Ioannes de Radziejoco Magister Episcopus Theodosien. suffraganeus Gnesnen. post annum Domini 1505. multis in prouincia pro ordine & Ecclesia exantlatis curis.

F. Iacobus de Bydgoszcz ex prouinciali Polonię propter ingentes ani-  
mi

imi dotes, Episcopus Laodicænus, & suffraganeus Cracouien. à Ioanne Conarski asciscitur.

F. Paulus Cracouien. Mag. ex priore Conuentus Cracouien. SS. Trinitatis, propter dicendi Leporem, quo aures Principum in Concione demulcebatur ad Episcopatum Laodicen. & suffragancatum Cracouien. assumpitus, anno Domini 1470.

F. Marianus S. Th. Magister & hæreticæ prauitatis quæsitor ex prioratu Cracouensi ob eximium virtutum fulgorem, Episcopus Laodicæni, & suffraganeatus Cracouien. infula ornatur, ad instantiam Friderici Cardinalis Archiepiscopi Gnesnen. & Episcopi Cracouien. Extinctus est, ait Miechouius, Marianus suffraganeus Cracouien. Religiosus S. Dominici, Theologus acutus, lingua facundus, plura genera linguarum callens, & disertè pronuncians, Latinam, Slauonicam, Polonicam, Alemanicam & Hungaricam. claruit anno 1503.

Miechon. lib.  
4. c. p. 83.

Fr. Dominicus Malochouius magister, nobilis genere, sed nobilior fide, & virtute, post insignes pro fidei catholica indefessos labores, Cracouensisque conuentus dignam administrationem; ex priore Episcopus Laodicænus, & suffraganeus Cracouien. multis & egregijs conuentui Cracouiensi præstis beneficijs dierum bonorum plenus obdormiuit in Domino, & ante aram maiorem in Ecclesia Sanctissimæ Trinitatis repositus est, anno. 1544.

Fr. Vincentius magister apud omnes ob linguæ facundiam, morumque integritatem celeberrimus, à Paulo Papa secundo, Episcopus Ennensis & suffraganeus Andreæ Episcopi Posnanien. institutus 1469. 3. Idus Octobris. adusque annum dom. 1494. summa cum laude floruit.

Fr. Adrianus magister Sigismundo I. à sacris confessionibus, Episcopus Ennen. & suffraganeus Posnanien. 1539. obiit.

Fr. Albertus eiusdem Ecclesiæ Antistes suffraganeus Posnanien.

Fr. Valerianus magister, oratorum sui temporis facile Princeps, Episcopus margariten. & suffraganeus Vladislauien. 1538.

Fr. Iacobus magister Episcopus Lacedæmon. & suffraganeus Plocen. 1491.

Fr. Ioannes Cracouien. magister, fidei catholicæ acerrimus propugnator, concionator summus. ob vitæ, morumque probitatem ad eundem Episcopatum, & suffraganeatum Plocen. electus est.

Fr. Felix magister Episcopus Metonen. suffraganeus Vilnen. 1554. 22. die Aprilis.

Fr. Cyprianus magister eiusdem Ecclesiæ Præsul. suffraganeus Vilnen. nostro tempore,

Eo quoque tempore, dum conuentus Soldinen. sub regimine prouincia Poloniae erat, vt refert Genebr. lib. 4. ex cathalogo Episcopat. orbis.

Censbr. lib.

Quendam de Ordine Prædicatorum Archiepiscopum Soldinen. creavit

4.

Ioannes Pappa XXII. ei dato pro se, & successoribus pallio. Ad partes quoque Aquilonis, eiusdem ordinis fratres septem misit, pro Coreiscopis, siue suffraganeis.

Omnes hi non palpandi, neque ambitus vitio, sed neque etiam Plutonis clave aurea, sed virtutibus lectissimis, sed rara in dicendo venustate, & constantia, sed immensis pro Ecclesia Dei exantlatis laboribus, ad eas dignitates sibi parabant iter. His dignitatibus ornati, non religionis humilem, contemptamque togam deposituere, non absque arbitro, & conscientia vita, socio ex eadem religione vixere, nil unquam de rigore viuendi religioso remiserunt. eadem vigilie: orationes diebus, noctibusque iuncta eadem, consuetudo diaria, puris cum lachrymis sacra offerendi eadem. idem in cionibus studium, idem veri, iustique, vel contra mortes sibi ab improbis, & peruiacibus obiectas inculcandi ardor. eadem animi infrausta fortitudo, contra fidei, & fortunarum Ecclesiarum hostes, eadem viuendi parsimonia; contemptus opum, pompa Aulicæ, illecebrarumque eius abdicatio, mentis humilitas, corporis castimonia, cordis sanctimonia, pectoris candor, totiusque hominis ad amissum Paulinam effecta forma. Basilius, Chrysostomos, Nazianzenos, sui sæculi è claustris cenobiorum, siue magis a celis rediuiuos, superiori ordine censitos, omnes putabant, habebant, & summo cultu suspiciebant. Reminisci lubet eorum, quæ nō semet in publico confessu Illustrissimorum virorum, omnibus fere, lacrymis sanguineis, cladem Ecclesiarum Polonarum à Lutharam, alijsque illatam deplorantibus, referebat, ut potestate amplissimus, ita doctrinæ candore, vitaque sanctitate Illustrissimus Stanislaus Carnouius Archiepiscopus Gnesnen. ille Antagonista contra heresim se in Aulas Principum, imo & quorundam Pontificum Polonię inserentem, Referebat ille de Adriano, Valeriano, & Cipriano Episcopis, suffraganeis, ceterisque doctissimis, sanctissimisque patribus prouincię Polonię quod iij soli contentione indefessa, concionibus doctissimis, disputationibus acutissimis, laboribus, & sudoribus immensis, fidei catholicæ puritatem, & maiestatem, in Regno Polonię, heresi Lutherana, Zwingliana, Suenckfeldiana, aliorumque monstrorum sexcentorum obruto, retinuerunt; Ipso Archiepiscopo Regni Primate tunc Iacobbo Vchanskij, de heresi, ob conciones à ministro heretico (Frisius erat) suo in Palacio publice factas, suspecto, ceterisque nonnullis in fide orthodoxa nutantibus. Quinque tantum ex Episcopis Polonarum, recte de catholica doctrina sentientes, memorabat Pius ille senex. Quin & Aulæ sacratae Sigismundi Augusti audenter se obtrudebat heresis. Brentius & alij nouatores impij passim libros infanda heresi scatentes, Regi obtrudere ausi, & postulare subscriptiones Principis, iam iam, ni a P. Melchiore firmaretur, penitentibus. Plura pudor & dolor presertim de Archipresule verat scribere.

Et ne sacra illa Regum, Pontificumque limina pretergrederetur, vel  
etiam

Etiam si forte per rimas illapsa esset pestifera heresis postliminio pellere-tur Valerianus, Cyprianus Melchior & alij fratres prouintiæ Poloniæ litt-eris Hosij Pontificis Varmien. & doctissimi Cardinalis, iussu summorum Pontificum Pij quarti, Pij quinti, aliorumque antecessorum datis com-moniti, toto conatu aduigilabant. Ut tandem dormientibus, ne dicam connuentibus Ecclesiæ Pastoribus. à maligno hoste sparsum zizanium, ex agro Polono euellerent, triticumque purgatum fidei conseruarent totos conatus adhibebant. Narrat & præter alias viros Illustrissimos is quem nunc omnes, propter summas virtutes ex Culmen. ad Varmien. & ex ea ad Vladislauien. & post ad Cracouensem Præfulatum euectum admirantur, Petrus Tylichzki quod Cyprianus, & Melchior, Lucas & Leonardus, cum alijs fratribus prouinciæ Poloniae, iam iam labentem fidem catholicam, creberrimis, & feruentissimis laboribus suis erexerunt. Si fratres S. Dominici, ait frequenter in Regno Poloniae tunc cum heresis omnia testa peruadebat, non fuissent, vix aliquod vestigium fidei orthodoxæ in Polonia superesset. Nondum enim submissi fuerunt cooperarij societatis Iesu, qui nunc cum indefessis ex labore, onus partiti sunt. De Cypriano Sreden. suffraganeo Vilnensi, ea adhuc recens ex ore hominum spirat memo-ria; quod is vicatim populo promiscue concionabatur. cum haeretici, peius angue, & cane Ecclesiam catholicam fugiendam esse iactabant; Proceres que mulcta graui indicta, eos ab ingressu templi arcebant. Hinc cachinnis, quandoque spurcissimis rebus, imo & lapidibus interdum ab haereticis exceptis, eadem fortitudine animi, in plateas, forumque mercatille prodi-bat, feminaturus verbum veritatis; vir erat in dicendo liberimus, & quod Sanctus Ambrosius, ob dicendi summam libertatem tulit elogium; tulit & Cyprianus, nullius vitia palliabat, quantum in signis esset ille, fuisset Theodosius, vel Augustus, si qui peccaret, sed libera voce increpabat. Quod au-tem in eo fuit admirandum, cum tanta facundia, scholasticam Theolo-giam iunxerat, vt abdita catholicæ fidei mysteria, facundo lepore contra haeresim pronunciaret. Acumine memoriarum tantæ fuit, vt in disputationi-bus contra haereticos, integra capitula Augustini, Cypriani, & aliorum patrum referret memoriter, quasi nuper eos in thesaurum metis colloca-set. nostro æuo obiit, multis laboribus exhaustus, innumeros haeretico-rum ad fidei veritatem reduxit. Vibre sepultus quiescit.

Hæc partim ex cathalogo Episcopatum orbis, partim ex Miechouio, Cromero, Leandro, Trithemio Actis capitulo rum prouincialium, manu-scriptis vetustissimis authographis, tabulis cenotaphiorum, & Illustrium personarum de posterioribus relatione accepimus,

*Prouinciales vigilantissimi prouinciae Poloniae Ordinis Prædicatorum.*

M. s. in 8. an  
tiquiss.

**P**RAESTAT ante Indiculum prouincialium, prefigere nor-  
mam illam vere auream, à Santissimo Patriarcha nostro Do-  
minico, prouincialibus, ceterisque fratribus prouincie Po-  
lonę præscriptam. Apostolico certe spiritu dignam, dignam,  
quę nostris quoque oculis dies, noctesque obuerletur, eam ex  
vetustissimis prouincia annalibus descriptam profero.

Filijs & fratribus in Christo charissimis, vniuersis prioribus, & conuen-  
tibus ordinis Prædicatorum, per prouinciam Polonię constitutis. Fr. Do-  
minicus seruus humilis, in consolatione sancti spiritus, gaudium, & sa-  
ludem.

Quotidiana de omnium vestrum profectu, & salute solliciti, & frequēti  
vos exhortatione admonere consueti, ecce iterum celebrato capitulo ge-  
nerali, quasi annum nostrę seruitutis tributum, vestre charitati rependi-  
mus. charitatis debitum in hoc exoluem. quod quanto magis soluimus,  
plus debemus. Itaque fratres mei desideratissimi, & dilectissimi, gaudiū,  
& letitia cordis mei, per Dei misericordiam obsecramus, ac per charita-  
tem sancti spiritus contestamur; vt inter mundanas varietates, & fluētus  
feri maris, in quibus reproborum confusiones, vt cernitis deprimuntur, vos  
qui ad vitę religionis Dei aspirante gratia confugistis, ad portum cœle-  
stis patrię, inde continuis desiderijs, & indefessis laboribus contendatis.  
Iutumescentes aduersitatum procellas, & temptationum varias tempesta-  
tes, magna fide calcan. & ad Christum potestati maris dominantem, & mo-  
tum fluctuum eius mitigantem, confidenter, & alacriter properantes, festi-  
nate charissimi ingredi in requiem, qui alios festinare monetis. Estote vi-  
gilantes, qui alios ad vigilantiam excitatis. Estote omni puritate, & san-  
ctitate conspicui, qui fideles ad sanctimoniam inuitatis. Calceati pedes in  
præparationem Euangeli, fraterna charitate estote concordes, humilita-  
tis, & obedientiæ vero Dei patris filio, vos exhibete conformes, vt angeli-  
cum vestrae professionis officium condignis actibus honoretis, qui in sa-  
lutis humanę officium missi estis. Diuinis aspectibus in omni loco reue-  
renter assistite, & proximorum edificationi fideliter ministrate. Ut ignito  
prædicationis eloquio, & salutari in confessionibus consilio abundare pos-  
sit; scripturas diuinitus inspiratas, & legem Domini immaculatam con-  
uertentem animas audiēdo, meditando, forutando, sectemini, studio sem-  
per utilem insistentes, & curiositatis dispendium euitantes. Et quoniam  
lingua in vestram sacratissimis eloquij consecratam, decet exhibere ora-  
tionem charitatis, non officium vanitatis. Sermo vester sit semper sale con-  
ditus, vt det gratiam audientibus; & resumpta censura silentij, quę iam  
minus

minus reverenter, & pateter à quibusdam vestrum noscitur esse projecta, argentum vestrum, & aurum conflat, verbis vestris stateram iustam facite, & frenos rectos imponite ori vestro. Sit vobis sermo viuus, & efficax, omne vanum, & non planum respuens; & lingua placabilis, lignum vita, verbum sanctum, & irreprehensibile, quod aduersarius reuereatur; quo ædificetur proximus, & Dei gloria dilatetur. Ferueat in cordibus vestris animarum lucrandarum zelus ardens, & acutus; quem regat ratio, dirigat discretio, temperet conuersatio mansueta. Et quoniam vos in eminenti specula constitutos, oculi multorum conspicunt; & à vobis, magis virtutum exempla requirunt, quam ornamenta sermonis: mittamus manum ad fortia, digiti mirham probatissimam distillantes, rigorem in operibus, perseverantiam in aduersitatibus exhibentes, ut per patientiam, & consolationem scripturarum, spe concepta celestium, secura mente conuiuim prægustemus in terris, quo nobis est in æternitatis abundantia perfruendum. Valete, & vigeat fraternitas vestra in domino Iesu Christo, meque inutilem seruum vestrum cum socijs, habete vestris orationibus commendatum.

Antiqua confuetudine prouincia, diuina hæc Sanctissimi patris nostri epistola, aureis litteris exaranda, in communi refectorio, singulis septimanis, omnibus fratribus præsentibus, à lectore mens die Dominico prælegebatur, ut ad eam prælati, ceterique Fratres facilius se cōponerent, quo sepius auribus corundem inculcabatur, cordisque tabulis insculpebatur. fuere vigiles in suo officio prouinciales, Apostolici huius monitorij non immemores, quorum longam seriem aspicit, & imitari pergit. Fr. Albertus Secouius S.T. Mag. prouincialis Poloniæ.

Primus qui prouincię prefuit, is qui superiores litteras primitus sua vita expressit Beatus Hyacinthus Odrouanzius, in capitulo generali Parisiæ, pro humilitate cordis, officio se abdicauit, ut eo magis, Apostolatus officio vacare posset.

F. Gerardus sequitur natione Vratislauien, in eodem Capitulo generali, à Magistro ordinis Jordane, prælatus prouincia, ex quo officio Episcopus Ruthenorum consecratur, circa annum Domini 1234. Iam enim consuetudo incleuerat in ordine, durationis prouincialium, ad quadrennium, quæ postea constitutione fancita est in Capitulo generali Bonon. 1242.

Proximus à Gerardo prouincialis Polonię integrerrimus, & doctissimus Pater, is quem S. Hyacinthus Religioni ascripsit, a cœtu Cardinalis Legati Crescentij abstractum.

F. Jacobus Romanus. Huic Gregorius Nonus, committit auctoritatem inquirendi statum Ruthenorum circa creationem Episcopi, ut supra, c. 2. anno 1232.

B. Ceslaus Odrouanzius frater Germanus S. Hyacinthi 1235.

*Martyrolog.  
Crac.*

XI.

*Henr.*

F. Henricus olim Albertus Episcopus Armacanus, ex priore Lipsien: prouincialis Polonie, postmodum Episcopus Culmen. in Prussia 1241.

F. Martinus is qui ossa B. Iuonis Episcopicum patre Vincentio a Mutina Italiae Ciuitate transtulit, ex priore Sandomirien. prouincialis Poloniae 1247.

F. Nicolaus studens Parisien. 1249.

F. Stanislaus S. Theol. Magister Cracoviensis. 1255. Is ad quem Alexander Quartus Diploma plumbeum, supra relatum direxit, de submittendis Apostolicis inter gentes.

*Michou. li. 4.* F. Simon Mag. quem Urbanus Papa Quartus, cum Volimiro Episcopo Vladislauien. instituerat auctoritate Apostolica, suum Commissarium, pro examinatione vita, meritorum, ac prodigiorum Beatæ Hedwigis, in anno Domini 1262.

F. Ioannes Boemus 1263.

F. Reinaldus Theuto. 1267.

F. Ioannes Sandomirien. 1271.

F. Nicolaus Lombardus 1275.

*Ioan. Dlugosius.* Huius temporibus horribile quoddam exemplū accidisse narrat Dlugosius, circa quandam militem, hæc in verba, anno Domini 1276. Miles quidam Polonus fævus, & impius in proprios subditos, & exterros, de vita futura nihil pensi gerens, cum assiduis pœuaricationibus in Deum, confiteri, & penitere pro ludibrio ducens, iras in se cœlestium coaceruasset, in grauem incidit languorem. Sed nec tum quidem scelerum conscientia actus, quicquam sibi de impetranda propitiatione diuina, ratus se superuicturum, & suas transgressiones resumpturum, prospexit. Inualescente tandem morbo, fratres Prædicatores per consortem illius, pro saluanda ægra mente acciti, Militem ad pœnitendum multifariè, per salutifera monita inducebant. Quibus miser homo commotus, serius, inquit, me ad pœnitendum impellitis; Serius confessionem, iudicato iam, & damnato, suadetis. cum pœnitentia, & gratia tempore effluxo confessionis, & pœnitendi spatio mihi subrepto, iusto Dei iudicio, in potestatem traditus sum spirituum tenebrarum. Vrgentibus deinde maiori instantia ægrum fratribus, & ne qua desperatione commissorum facinorum à confitendo, & pœnitendo abstraheretur, opem diuinam, si pœniteri, & confiteri vellet pollicentibus, extremam edidit vocem. Frustra, inquit ingeritis de confitendo monita, proprio exuto, & spoliato arbitrio, etiam in Daemonum potestate consistenti. à quorum cateruis super imminentibus torquendus, & flagellandus iam appetor. Audita illico sunt percussionses horrendæ, iætus frequentes, & atrocissima ex sonitu, & collisione, atque reciprocatione flagellationum verbena, & in ægi corpore liuores, plaga, vulnera; à fratribus, & alijs circumstantibus visibiliter, ab invisibilibus tortoribus illata, conspecta. Inter quæ ille infelix, & execratus

dus homo nec vocem, nec gemitum edens miserabiliter expiravit. In quo Beatissimi Augustini sermo, pro diuino oraculo cui libet peregrinanti retenendus, impletus est. Hec est, inquit, iustissima lex Dei, ut qui viendo obliuiscetur Dei, moriendo obliuiscatur sui.

- F. Iacobus ex districtu Sandomiria. Prouincialis anno 1279.

F. Goslaus Vratislauien. anno 1283.

. F. Boleslaus Lector Hradicen. Boemus 1287.

F. Aegidius Magister 1290. Is qui in Capitulo generali Ferrariae celebra M. f. Alta to, contra Latinum Vrsinum, & Hugonem Cardinales, pro libertatibus Cap Ferrar. ordinis, vna cum ceteris Patribus, murum se aheneum oppouit. Hi enim Cardinales, ex instinctu Nicolai Quarti Pont. Maximi de ordine Minoru, & ex priuato quodam affectu (nepotem enim Latini, noluerat studijs vacare, generalis munio in Conuento Parisiensi, sed alibi) Generalem munitionem Hispanum volebant ab officio amouere, cum summo ipsius, imo & Religionis, cui non multum cupiebat Nicolaus, dedecore, & probro. Validum propagatorem iustitiae se cum Patribus demonstrat Aegidius, hunc in modum respondens Cardinalibus. Nouerint venerabiles Paternitares vestrae, quod cum accepissemus litteras vestras, antequam potuimus super his deliberare, innoverunt rumores apud fratres nostros, & ad eorum importunitates, coacti sumus literas in Capitulo legere, & tunc tanta fuit lachrymarum effusio, tantus gemitus, tantus dolor, omnibus clamantibus. Expositi sumus discrimini, expositi dissipationi. Multis, & magnis fratribus clamantibus, pro licentia transeundi ad alios ordines, coram toto Capitulo. Et si mors eis fuisset nunciata cœlitus, non fuisset forsitan maior doloris & æteroris expressio, in tantum, ut in corde suo vnuquisque nostrum diceret. Ut nobis, vt quid nati sumus, videre tantam ordinis nostri amaritudinem, & iacturam?

F. Boleslaus Hradicen. Boemus secundo 1294. Hic diuisionem prouinciarum in duas, videlicet Poloniae, & Boemiae fieri procurabat, qua quidem inchoata est, in Capitulo generali Meten. 1290. & Marsilien, 1300. & Co Capitul. locen. 1301.

F. Ladislaus Cracouien. in Capitulo prouinciali Cracoviæ celebrato, electus, atque confirmatus 1298. electione Magistri generalis Alberti Genuen. interfuit, in Capitulo Marsilien. 1300. Is quia diuisioni prouinciarum repugnabat, in Capitulo Colonensi anno Domini 1301. officio motus est. In scilicet enim omni videbat separandos esse illos Conuentus Boemiarum, à prouincia Poloniae. Florebant illi, dum se à tam felici, & prestantissima prouincia, non secreuissent. Seiuncti, nomine vix retinent, illius pristinæ maiestatis, & dignitatis, imo & ab ordinis con sortio abrepti, aliorum stuporem vobis cesserunt. Felicissima illa B. Ceslai plantæ, Conuentus S. Clementis Pragen. à Presbyteris societatis Iesu occupatus, cætraq; monasteria deformata, incusant Boleslaum Hradicen. suum diuisio-

rem. Suo enim quoque tempore, illico, ut diuisi fuerunt Conuentus Boemie, a prouincia Poloniae, cæperunt experiri, quanto illis constaret, esse sub uno corpore. Quamobrem in Capitulo generali Genuæ celebrato, iterum ad unitatem prouinciae Poloniae reducti fuerunt 1305.

F. Boleslaus Boemus tertio, post Ladislai motionem in Capitulo Generali 1305. officio priuatus.

F. Peregrinus prior Vratislauien. in Capitulo prouinciali Cracouien, electus, prima & altera vice in duobus Capitulis.

Scripsit nonnulla, e quibus ego vidi Sermones de tempore, & de Sanctis per totum annum.

F. Nicolaus Afri, abdicato officio in Capitulo Lugdunen. 1318. fit pœnitentiarius Ioannis Papæ xxij. & ex eo officio, Episcopus Culmen. 1325

F. Petrus de Colomeis, postea pœnitentiarius eiusdem Pontificis, & exinde Episcopus Plozen. circa annum Domini 1327. floruit.

M. f. in 8. &  
Ad Capit. Is qui in Capitulo Valentino 1337. Benedicto  
Papæ xij. ordinem admittenti totis viribus opprimere, & pessundare, se cum  
alijs Patribus obiecit, & in Curia Romana plurimos labores, pro integritate,  
& conseruatione ordinis cum cæteris sustulit.

F. Prybislaus Magister.

F. Stanislaus Cracouen. Magister.

F. Petrus Comessa Vratislauien. postea pœnitentiarius Papæ in anno  
Domini 1393. vixerat.

F. Ioannes Bregensis Silesius, dictus Szodlant. Is qui aliquot Conuentus Russie ad instantiam Gregorij XI. ex magistri Heliae generalis societati peregrinantium sorte cœcesserat. 1378. & prouinciali Episcopus Culmen. 1383. & post Hildesheim. Scripsit volumen de SS. Trinitate, & Sermones de Sanctis.

F. Petrus Vasslerchab Theuto, electus & confirmatus ad annum Domini 1393.

F. Nicolaus Bresten. a Polonis electus, maximus illo tempore Prædicator, & hæreticæ prauitatis Inquisitor.

F. Ioannes Opatouicen. Mag. à sacris confessionibus Ladislai Jagellonis Regis Poloniae in Capitulo Siradien. 1411. electus post officium prouincialis Episcopus Chelmen. ab anno 1417. ad usque 1440. illam administrauit Ecclesiam.

F. Nicolaus Vrsius de Pnieroymag. anno 1419. interfuit Capitulo generali Friburgi, vir doctissimus & eloquentissimus.

Tempore Leonardi Stati Florentini Magistri generalis ordinis. Eius antecessor Ioannes prouincialis, postquam Episcopali honore insignitus est, in Ecclesia Chelmen. nitebatur à cathedrali Ecclesia Cracouien. auctiore Ecclesiæ, quæ in Palatinatu Sandomiriæ. & Lublinen. latissimo tractatu, ad Cracouien. Diocesim pertinebant. Cui aulsioni vt viam sterneret,

meret, moliebatur primo diuidere prouinciam Poloniæ, authoritate generalis Leonardi. Conatibus illius in separatione Episcopatus Cracouien. opposuerunt se vniuersi Episcopi Poloniæ, tali data epistola ad Martinum V. Pontif. Max. cuius exemplū est in Archiuo Ecclesiæ cathedralis Cracoviæ. fol. 43. in qua hęc habentur. Non longe ante, idem frater agens in minoribus prouinciam Poloniæ orditis Prædicatorum scissionē, & diuisione similibus ita turbauerat, quod Regia Maiestas ope, & opera S. V. tūc in minoribus constituta, & demum ad apicem summi Apostolatus facti citer assumpta in Concilio Constantien. & ex post apud dictum ordinem Prædicatorum in Capituis generalibus, cum difficultate, & labore graui, eandem prouinciam obtinuit, ad pristinam reduci vnitatem. Datur hęc epistola in Conuentione generali Siradien. ipso die conuersionis S. Pauli Apostoli 1425. Subscribunt Prælati, Comites, Palatini, Barones, & Proceres, totaque Communitas vniuersitatis nobilium Regni Poloniæ, in dicto parlamento generali congregati. Ausis vero eiusdem Ioannis, in diuisione prouincia Poloniæ, se obiecit Nicolaus Vrsi successor. Et in Concilio Constantien. anno Domini 1417. sexta Iulij, sede vacante, à Ioanne Episcopo Hottien. S. R. Ecclesiæ Cardinali Vicecancellario, & Præside Concilij, qui post modum in sede Apostolica Martini Quinti nomen obtinuit, impetravit hoc ad libellum supplicem rescriptum; Audiat Episcopus Aprutinus, declarat, & reintegret, si, & prout de iure, & iustitia fuerit. Declarauit Marinus Episcopus Aprutinen. Sacriq; Palatij causarum Auditor, diuisionem illam prouincia Poloniæ attentatam, in vim cuiusdam mandati Domini Baltassaris olim Ioannis Papæ xxij. Magistro ordinis Leonardo facti, nullam esse, nec debere aut posse, ob diuersa scandala ex ea orta subsistere. Quapropter eandem prouinciam auctoritate Concilij generalis, idem reuniuit. Magistro ordinis Leonardo data inhibitione, ne per se, aut alium, seu alios, publicè, vel occultè, directè, vel indirectè, quo quis etiam quesiito colore, in præjudicium prouincia, & in contemptum sedis Apostolice, prædictam prouinciam diuidere audeat. Commissionis, mandati, rescripti, inhibitionis, & executionis istius, extat publicum instrumentū in Archiuo Conuentus Crac. signatum signo Petri Scultei de Moleuie clerici Vratislauien. Notar. publici. Quę autem & qualis diuisio prouincia tunc fuerit a Ioanne & Leonardotentata, non liquet ad plenum, malitia temporum monumentis alijs vel perditis vel abditis.

F. Ioannes Frakstenius prouincialis magister. Reformator conuentus Vratislauien. & per diocesim Vratislauien. hereticæ prauitatis Inquisitor. Scriptis nonnulla doctrinæ suæ monumenta egregia, videlicet lecturam super Genesim, Exodum, Leuiticum, Numeri, & Deuteronomium. Super quatuor libros Sententiarum, Sermones magistrales ad clerum de tempore, & Sanctis per totum annum, cum pluribus alijs. Tractatum de officio

*Annales  
Crac. Eccle.*

*Instrumentum  
public.*

Inquisitionis. Tractatum de imitatione Christi, & alia multa. obiit anno domini 1446. abdicato officio.

F. Andreas Rutheni magister in vigilia Omnium sanctorum Sandomiriae mortuus 1454.

F. Jacobus de Bydgoszcz a magister in capitulo Siradien. electus anno domini 1447. ex prouinciali Episcopus Laodicenus, & suffraganeus Cracoviensis. Hic 30. annis gloriosè rexit prouinciam. Eo anno quo creatus est suffrag. obiit 1478. 30. Maij.

*[Acta Capitu. prouin. Mart. note.]* F. Albertus de Secinię magister in capitulo Lublinen. anno domi. 1478. electus ex prouinciali suffraganeus Gnesnen. administravit officium summa cum laudem adusque annum dom. 1501. obiit 1502.

F. Ioannes Aduocati electus in capitulo Posnan. 1505. ad usque annum domini 1516.

F. Andreas de Parchou. S. T. Baccal. prior prouincialis. exacto officio, ob vitæ integratatem, & morum maturitatem, tum scientia præstantiam, à sacris confessionibus Sigismundi I. Regis Poloniæ. obiit. 1540.

F. Ludolphus Theuto. Mag. de quo supra. obiit Crac. anno 1519.

F. Andreas Suientek, qui in quenio tantum præfuit prouincia. Nam a pluribus annis exoleuerat in prouincia, constitutio illa cap. Bonon. 1242. a Patribus facta, de duratione prouincialium ad quadriennium, cum necessitate plerumque ex oriente, ob prudentiam in administratione prouinciarum, cogebantur plerique patres, pondus, & decus officij ad mortem usque sustinere. Inde ad uitium esse cuperat officium prouincialium, quamvis nonnulli eo se abdicabant ex humilitate; nonnulli etiam ad prælaturas Ecclesiarum exinde aslumebantur. Franciscus Ferrarien. reduxerat permanentem hanc durationem ad primeum Bononensem statum. Leo vero Pontifex eius nominis decimus, speciali diplomate, prorogauit ad sexennium.

Primus hic cepit agere apud eundem Leonem X. Pont. Max. pro canonizatione D. Hyacinthi.

F. Thomas à Szyczoco S. T. Magist. vir doctissimus, & morum grauitate venerandus 1528.

F. Andreas Suieteh secundo, propter urgentissimas preces ab officio liberatus.

F. Martinus Sporn Vratislauien. S. T. Mag. à Clemente VII. Romæ, in capitulo generali, multa pro gloria D. Hyacinthi obtinuit. electus Siradiensis 1536. obiit 1545.

F. Thomas à Szycoro iterum Crac. 1545. electus. post multos labores pro canonizatione D. Hyacinthi, & profidei Catholicæ, & religionis augmento expletos, Cracovię moritur. 1557.

F. Gabriel Szadech S. T. Magist. in concionibus eloquentissimus, in capitulo Loucien. electus.

F. Paulus Sarbinius S. T. magist. primum Inquisitor hæretice prauitatis, animi virtute, scientię acumine, dīcendi facundia præstantissimus, in capitulo.

pitulo Sandomirien.electus.

F.Melchior Mosticen. Mag. 1559. in capitulo Plocen. absens electus, prima vice.

F.Hieronymus Ciranus S. T.Magist. à sacris confessionibus Sigismundi Augusti Regis Poloniæ, prouincialis in capitulo Louicien. 1565. electus, dum pro restauratione religionis apud Gedanenses ciues hereticos laboret, ab ijsdem hæreticis ciuibus, veneno extinctus, ibidem quieuit 1567. Succedit eidem nec semel, sed & iterum, atque tertio frater Melchior Mosticen. de quo inferius.

F.Felix Siradien.bis electus, primo quidem in capitulo Louiciensi 1586. deinde in capitulo Lublinen. 1593. omnium consensu ad idem officium assumptus.

F.Albertus Secouius S. T.Magist.in capitulo Plocen. 1599. electus, propter diuisionem conuentuum Russiæ, quæ ne fieret, plurimas voravit molestias, multosque labores sustulit, in capitulo Neapolitano 1600. eius electionis scrutinio irritato ; nihilominus authoritate Summi Pontificis Clemétis octaui, per litteras eiusdem sub annulo Piscatoris datas, ex vi electionis eiusdem Plocen. super omnia totius regni Poloniæ & Ducatus Silesiæ Monasteria prouincialis confirmatus 1600.die 20. Nouembris; felicissimis accessionibus Conuentuum, & reformatio[n]e vitæ regularis, administrabat prouinciam.

## C A P V T O C T A V V M .

### Censores fidei, & Inquisitores hæreticæ prauitatis ex prouincia Poloniæ.



A semper fuit peruigil cura summorum Ecclesiæ Pontificum, in extirpandis hæreseon monstros; vt quoties alicubi illa enata, pullulare animaduerterent, toties viros doctrinæ eruditio[n]e acres, & eloquentia facundos, in eam rem deligerent. Qui zelo amplificandæ Ecclesiæ incensi, necnon dolore ob pereuntes, fraude hæreticorum animas, vehementissime commoti, totis studijs. incumberent ; vt errore profigato, fidei Catholicæ maiestas, in suo candore ab omnibus amplectetur. Industrios, doctrina præcellentes, eloquentia, zeloque, vix antiquis illis patribus secundos, patres prouinciæ Poloniæ ordinis Prædicatorum, semper iudicauit sacrosancta Sedes Apostolica. Quamobrem eius nominis Ioannes Papa XXII. prouinciam Poloniæ fratrem Petrum de Colomeis, virum dignum, cui postmodum Ecclesiæ Plocen.curæ Pastoralis demandaretur (quamquam alij dicant F. Mathiam Cracouien. eius successorem) prouincialesque omnes in posterum iuxta seriem succedentes, censores fidei, & hæreticæ prauitatis Inquisitores, vocant, natos, esse voluit ab eo tempore quo nonnulli Alemanorum has resi

resi imbuti pestifera, penetrare cupiebant in Ecclesiam Polonam. Eam ob causam, monet etiam Ladislaus Locticum Regem Polonię; monet & Archiepiscopum Gnesnen. Regni primatem primumque principem, ceterosque omnes Episcopos, Palatinos, Regioque lateri quoscunque assidentes, Senatorij ordinis viros, ut prouincialem Polonię, eiusque subdelegatos, quo poterunt majori studio iuuent, ut errores si qui forte irrepserunt purgentur, deuij ad viam veritatis reducantur, pestifera dogmata vulgantes arceantur, corripiantur, igne quoque si opus erit a magistratu ciuili exipientur. Extant diplomata Pontificia in Archę prouincię, e quibus hoc primum accipe, ad prouincialem Polonię datum, plumboque signatum.

Ioannes Episcopus seruus seruorum Dei.



*I L E C T O filio Priori prouinciali fratribus ordinis Prædicatorum in Polonia, salutem, & Apostolicam benedictionem. Inter alia quæ nobis ex Apostolatus incumbit officio, animarum precipue nos conuenit inuigilare saluti, ut eas Regi Regum, qui nos illarum licet immēritos voluit præsse regimini, lucrificare, sua nobis cooperante gratia valeamus. Verum quia non est accepit apud Deum obsequium, quod sine fide præstatur, nec peruenitur operum edificio ad salutem, quod supra firmitatem fidei non consurgit; ad propagandam eam, & corroborandam in mentibus hominum, intentione tota, omnique sollicitudine, & verbi, ac operis efficacia laborare debemus; ut Christiana religione latius diffusa per orbem, patris aeterni filius, multiplicatis servitoribus plenius honoretur. Porro plures opposite intentionis prosequentes affectum, in contrarium studia malignitatis exercent, dum fidem ipsam detractionis iaculis feriunt, & eam de fideliūm abolare pectoribus, adulerti dogmatiis instructione conantur. Quibus sic est cùa vigili, & labore sedulo, a sumptis armis spiritualibus resistendum, ut eorum detestandum propositum, & conamen, auxiliante Domino penitus vacuetur, & fide Catholica, per Christi pugiles virtuose defensa, non men Domini gloriosum, dignis semper laudibus effératur. Cum igitur sicut accepimus in Regno Polonie hostes crucis, de remoris partibus Alemanię, & circumpositis Regionibus frequenter, & latenter inuadant, simplices, & catholicos dicti Regni, eosque inficere, & à veritatis limine deuflare, fallacium argumentationum impulsibus moliantur. Nos volentes contra talium dolosam astutiam, ne diffusus in Regno prædicto huiusmodi serpat morbus; opportunitum remedium, per sedis Apostolica diligentia adhiberi: ac cupientes anxie, ut negotium fidei, iugi profectu, elisis omnino quibuslibet erroribus; fortius inualefac, discretioni tua, aliquos de fratribus tui ordinis tua prouincię idoneos, in lege Domini eruditos; quorum honesta conuersatio exemplum tribuat puritate, & doctrinam fundant eruditia labia salutarem, ad huiusmodi opus Dominicum exequendum auctoritate Apostolica deputandi, per partes ipsius Regni,*

Regni, & alias partes, tibi per ordine in tuum limitatas, ipsisque amouendi, ipsisque amotis, vel de hac luce subtractis, alios similiter idoneos instituendi, quies tibi visam fuerit, plenam & liberam concedimus tenore presentium facultatem. Qui quidem fratres cum per te ad hoc dicitur, seu inserviunt fuerint, ut præfertur, iuxta & secundum Instituta Canonica super his promulgata, auctoritate prædicta Clero, & Populo omnino locatis, generali predicationem in dicto Regno, ubi & quotiens expeditare viderint facientes, Inquisitionis officium, contra labem hereticae pravitatis diligenter, & sollicitè prout est Deus dederit exequantur. Contra hereticos, credentes, fautores, defensores, & receptatores eorum iuxta, & secundum eadem statuta auctoritate præfata nihilominus processuri. Et si aliqui habeat heretica penitus abiurata, ad Ecclesie redire voluerint unitatem, ipsis iuxta formam Ecclesia, ac secundum prefata statuta absolutionem impendant, & iniungant eis, quod talibus est secundum statuta huiusmodi iniungendum. Attentius prouisari, ne, qui videntur reuerti sub palliata specie, pietatis, impietatem committant, & Angelus Satanæ in lucis Angelum transformetur, propter quod statuta super hoc promulgata respicere poterunt, & ab eorum insidijs, secundum distinctionem eis traditam a Domino, praecauere. Ad hoc ut idem Inquisitores, super præmissis omnibus officiis sibi commissum, libentius, & efficacius possint exercere; omnibus qui ad Prædicationem eorum accesserint, & singulis stationibus, viginti dies, illis vero qui ad impugnandos hereticos, fautores, receptatores, & defensores eorum, in munitionibus, & castellis, vel alias contra Ecclesiam rebellantes, ipsis ex animo auxilium consilium; præstiterint vel fauorem tres annos de iniuncta sibi paenitentia, auctoritate Apostolica relaxandi, & si qui ex eis, in prosecutione eiusmodi negotij, forte decesserint, eis omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti, & ore confessi fuerint, plenam indulgentiam concedendi. At ne aliquid fratribus ipsis desit ad predictum negotium prosequendum in contradictores, & rebelles, ecclesiasticam proferendi censuram. Prædicatores quoque questuarios, quorum interest charitatua tantum subsidia simplicitate percevere, ad Indulgentiam: si qua forsitan habent exponere, à predicationis officio, quod ad illos nullatenus pertinet, compescendi censura simili, tenore presentium liberam eis concedimus facultatem. Dat. Aunionis 3. Kal. Maij Pontificatus nostri anno undecimo 1326.

Accipe & haec duo alia Pontificis Diplomata, alterum ad Serenissimum Regem, alterum ad Archiepiscopum.

6

Exemplar

Exemplar literarum Pontificis ad Serenissimum Reg. Polonie.

Ioannes Episcopus seruus seruorum Dei.



A R I S S I M O in Christo filio Vladislao Regi Poloniae Illustri salutem, & Apostolicam Benedictionem. Quantum honoris, & laudis Deo, & vniuersali Ecclesiae, quantumcunque utilitatis, & exultationis Christianitati prouenit de multis, innumerisq; solicitudinibus, & laboribus indefessis, quos tu ad expiandas de Regno abominationes hereticae prauitatis dudum exhibisti, ac incessanter exhibere dinoscere tua magnifica opera, prout fide dignorum testimonio perceperimus, manifestant. Tu namque veluti victoriosus pugil eiusdem Ecclesiae, ac fidei Christianae zelator eximius, ad hoc semper tua vota feliciter direxisti, ut exterminares inimicos crucis, & tam fidei, quam fidelium terminos dilatares. Cum igitur sicut accepimus in Regno tuo Poloniae, hostes crucis de remotis partibus Alemaniae, & Boemiae, & circumpositis Regionibus frequenter, & latenter inuadant, simplices, & catholicos dicti Regni, eosq; inficere. Et à veritatis limine deuiare fallatum argumentorum impulsibus moliantur: Nos volentes contra talium dolosam astutiam, ne diffusius in Regno praedicto huiusmodi serpat morbus, opportunum remedium per sedis Apostolice diligentiam adhiberi, ac cupientes anxie, ut negocium fidei iugi profectu elisis omnino quibuslibet erroribus, fortius inualescat, dilectio filio Priori Prouinciali fratum ordinis Prædicatorum Poloniae, aliquos de fratribus sui ordinis sue Prouincie idoneos, in lege Domini eruditos, quorum honesta conuersatio exemplum tribuat puritatis, & doctrinam fundant eruditia labia salutarem, ad huiusmodi opus Dominicum execendum auctoritate Apostolicam deputandi, per partes ipsius Regni sibi per ordinem suum limitatas, ipsosq; amouendi, eisq; amotis, vel de hac luce subtractis alios similiter idoneos instituendi, quoties sibi visum fuerit, plena, & liberam concessimus per nostras litteras facultatem. Qui quidem Fratres, cum per eundem Priorem ad hoc deputati, seu inilituti fuerint, ut præfertur iuxta, & secundum instituta canonica super his promulgata auctoritate predicta, clero, & populo conuocatis, generalem prædicationem in dicto Regno, rbi & quoties expedire rident facientes, Inquisitionis officium contra labem hereticæ prauitatis, diligenter, & sollicitè prout Deus eis dederit excuantur: contra hereticos credentes, fautores, defensores, & receptatores, eorum iuxta, & secundum eadem statuta auctoritate præfata nihilominus processuri. Si aliqua heretica labe penitus abiurata, ad ecclesiæ redire voluerint unitatem, ipsis iuxta formam Ecclesiae, ac secundum præfata statuta beneficium absolutionis impendant, & iniungant eis, quod talibus est, secundum statuta huiusmodi iniungendum. Ideoque magnificentiam Regiam rogamus, monemus, & hortamur attente in remissionem tibi peccaminum iniu-

iniungentes, quatenus eosdem Inquisitores pro reuerentia diuina, & Apostolice sedis, ac nostra benignè recipias, & honestè pertractes, eis in his, & alijs consilium, auxilium, & fauorem, taliter impendenav, quod ipsi commissum fibi officium exequi valeant inoffensè, & nos synceritatis tuae zelum possimus in Domino merito commendare, tuq; exinde bonum, quod suis fidelibus diuina clementia pollicetur, ad diuini nominis laudem, animæ tuę salutem, dictique Regni exaltationem consequi merearisi.

Datum Aunionis Kalendis Aprilis Pont. nostri anno vndecimo.

*Exemplar literarum Pontificis ad Prelatos Regni Polonie.*

Ioannes Episcopus seruus seruorum Dei.



Enerabilibus Fratribus, Archiepiscopo Gnesnen. & eius suffraganeis, ac Episcopo Caminen. & dilect. s. si ijs vniuersis alijs Ecclesiastarum Prelatis, in Regno Polonię constitutis, salutem, & Apostolica[m] Benedictionem. P. q[ue]cuncti s. nolt q[ue] mentis desiderabilibus, catholiq[ue] & incrementeum si tei affectantes, ni nro viisque dolore replemur, cum audimus aliquos, vel genti rans ad illius depressionem, qualicunque malignitate satagere, vel damnabilibus ipsam deprauando reprehensionibus, aut detractionibus ei abrogabilibus derogando, ac cōmentis eandem moracibus pervertendo, ad quorum iniqua consuetenda nolimina, eo animosius aspiramus, quo in anima um stragem pernitosus eos agnoscamus conspirare. Cum igitur sicut accepimus in Regno Poloniae hostes crucis de remotis partibus Alemaniae & Boemiae, & circumpositis Regionibus frequenter, & labenter inuadant simplices, & catholicos dicti Regni eosque inficere & a veritatis limine deuiare, fallaciam argumentationum impulsibus moliantur. Nos volentes contra talium dolosam astutiam, ne diffusius in Regno prædicto huiusmodi se p[re]at morbus, opportunum remedium per sedis Apostolicae diligentiam adhiberi, ac cupientes anxie, vt negotium fidei iugi profectu elisis omnino quibuslibet erroribus, fortius inualecat, dilecto filio Priori Provinciali fratrum ordinis Prædicatorum Poloniae, aliquos de fratribus sui ordinis s[an]c[t]i Provinciae idoneos, in lege Domini eruditos, quorum honesta conuersatio exemplum tribuat puritatis, & doctrinam fundant erudita labia salutarem, ad huiusmodi opus Dominicum exequendum auctoritate Apostolica[m] deputandi, per partes ipsius Regni, & alias partes sibi per ordinem suum limitatas, ipsosque amouendi, eisque amotis, vel de hac luce subtrahitis alios similiter idoneos instituendi, quoties sibi visum fuerit, plenam, & liberam concessimus per nostras litteras facultatem. Qui quidem Fratres, cum per ipsum Priorem ad hoc deputati, seu instituti fuerint, vt praefat[i] iuxta, & secundum instituta canonica super his promulgata auctoritate predicta, clero, & populo conuocatis, generalem predicationem in dicto Regno,

vbi & quoties expedire viderint facientes, Inquisitionis officium contra la-  
bem hereticae prauitatis, diligenter, & sollicitè prout Deus eis dederit exc-  
quantur: contra hereticos, credentes, fautores, defensores, & receptatores, eo-  
rum, iuxta, & secundum eadem statuta autoritate nibolominus processuri.  
& qui heretica labe penitus abiurata, ad ecclesie redire voluerint unitatem,  
ipsis iuxta formam Ecclesie, ac secundum prefata statuta beneficium abso-  
lutionis impendant, & iniungant eis, quod talibus est, secundum statuta hu-  
iusmodi iniungendum. Ideoque universitatem vestram rogamus, mone-  
mus, & hortamur attente, per Apostolica vobis scripta distillè precipien-  
do mandantes, quatenus eosdem Inquisitores, pro reverentia Divina & A-  
postolice sedis ac nostra benigne recipientes, & honestè tractantes, eis in his  
& alijs, consilium, auxilium, & favorem impendatis, quod ipsi commissum  
sibi officium exequi valeant inoffense, & nos sinceritatis vestre zelum possi-  
mus in Domino merito commendare.

Dat. Aunionis Kal. April. Pontificatus nostri anno X !.

His Pontificijs litteris incitati pientissimi Reges Poloniae, quales se  
præstant, in adiutorio fidei, ex hoc diplomate Vladislai Regis, iuxta cu-  
ius exemplar, amplissima potestas, alijs quoque Inquisitoribus dabatur  
intelliges, quod ex suo originali est ad verbum translatum.

*Vladislaus Dei gratia Rex Polonie, Lituanięq; Princeps supremus &  
heres Russię hic, &c.*

 Niuersis & singulis Capitaneis, Burgraviis, Castellanis, Pro-  
curatoribus, Generalibus, Viceprocuratoribus, Aduocatis,  
Consulibus, Scabinis, & alijs Officialibus terrarum, Castro-  
rum, Ciuitatum, Oppidorum nostrorum, in Dicēsi Gnes-  
nen. & Posnanien. Constitutis & constituendis, fidelibus no-  
stris, gratiam Regiam, & omne bonum.

Fideles nobis dilecti. Cum Religiosus vir, nosterq; deuotus F. Nico-  
laus de Lancicia, Sacrae Theologiae Baccalaureus, ordinis fratrum Prædi-  
catorum, Inquisitor hereticae prauitatis, in prædictis Diocesibus, per Ve-  
nerabilem in Christo Patrem fratrem Nicolaum de Pnieroym Prouinciam  
Poloniae ordinis eiusdem, sancte sedis Apostolicae auctoritate sit speciali-  
ter deputatus, pro Deiq; seruitio & exaltatione S. Fidei orthodoxae debeat  
in locis seu partibus nostra iurisdictioni subiectis exercere officium In-  
quisitionis, ut heresis crimen detestabile, a dictis partibus quibus præside-  
mus, si forte alicubi vigeat, valeat extirpare. Nos quoque velut Princeps  
catholicus, qui de manu Altissimi multa bona accepimus, & varijs hono-  
ribus ornati sumus, in prædictis & alijs quæ diuinum concernunt obse-  
quium, Conditori omnium complacere ut conuenit, plurimum cupien-  
tes intendimus, imo & volumus prædictum Inquisitorem tanquam Dei

spe-

specialem ministrum, nostris prosequi gratijs & fauoribus opportunis . Vobis igitur & vnicuique vestrum iniungimus, & de consilio Prelatorum & Baronum nostrorum, die datae presentium nobiscum hic congregatorum districte præcipiendo mandamus, sub obtenu gratia nostræ Regalis, quatenus prædictum Inquisitorem, ad exercendum suum libere Inquisitionis officium, in terris & locis nostræ iurisdictioni subiectis, & signanter in Dicēsibus prefatis fauorabiliter admittatis. Et quotiescumq; in exequendo dicto officio sçculare brachium, ipsum contigerit inuocare, auxilium vestrum fideliter & cum effectu sibi præbeatris, capiendo & capi faciendo, quoscunque diëtus Inquisitor, de memorato facinore suspectos aut diffamatos, seu etiam eodem irretitos nouerit , aut duxerit nominandos . Captos etiam detineatis, infra iurisdictionem vestram sub acrī & diligentí custodia , vel etiam deducatis ad locum ad quem idem Inquisitor mandauerit, donec negotium super huiusmodi delicto , per iudicium Ecclesiae terminetur . Condemnatos quoque ac Curiæ relictos sçculari, statim recipiatis indilatè, animaduersione debita puniendos . Necnon omnia alia studeatis adimplere, que spectant ad officium , videlicet iuxta leges Friderici Imperatoris per Ecclesiam approbatas, & per Canonica instituta, prout ipse Inquisitor decreuerit, & quoties vos duxerit requirendos . Non obstantibus priuilegijs, libertatibus, & exemptionibus seu litteris præmissæ facultatis, quibuscumq; personis, cuiuscunq; conditionis, dignitatis & gradus existat, tam Christianorum, quam Iudæorum, Schismaticorum & aliorum contra fidem Catholicam delinquentium , seu Communitatibus eorum, aut Vniuersitatibus terrarum, Cuitatum & locorum, generaliter vel specialiter, sub quacunq; verborum expressione, per nos aut alias Serenissimos Principes, Reges & Dominos terrarum Regni Poloniæ, aut ipsorum subditos, in contrarium alicuius præmissorum concessis, vel in posterum concedendis . Nolentes ex huiusmodi priuilegijs, exemptionibus, seu cōsuetudinibus ac statutis municipalibus ac Provincialibus, & libertatibus, seu quibuslibet præmissionibus securitatis, mandatisq; ac prohibitionibus prefato Inquisitori, in tanto pietatis negotio, quodcumq; obstaculum aut impedimentum interponentibus, directe vel indirecte . Vt autem prefatus Inquisitor, suum Inquisitionis officium securius & liberius valeat exercere, nostro suffultus præsidio & fauore, ipsum eiusque societatem, & familiares, ac bona eorum, sub nostra protectione Regali benigne recipientes, per presentes mandamus, vobis, vt supra prædicto Inquisitori, eiusq; societati, notarijs, & familiae, nullam iniuriam, nullumque grauamen, aut damnum aliquod in personis seu bonis, a quocunq; fieri permittatis . Imo pro nostra gratia speciali, eidem de seculo transitu, necnon de saluo conductu, quando & quoties per prædictum Inquisitorem fuerint requisiti, vna cum expensis competētibus, dum prædictum Inquisitionis officium apud vos exercebit, charitatue si-

bi prouideatis. Iuxta modum laudabilem aliarum Prouinciarum nostrarum, circa talia obseruari consuetum. Et presertim in hoc specialem Celsitudini nostre complacentiam facietis, si ad repellendam a partibus Regni nostri hæreticę prauitatis infamiam, haec tenus de nostris Regnico-lis mandatum, Inquisitori fideliter in præmissis assistentes, opem & operam præstiteritis efficaciter. In cuius rei testimonium, sigillum nostrum præsentibus est appensum.

Dat. & Actum Lanciciæ, Feria 3. proxima, ante S. Laurentij, an. 1436.

**B. Ioan. In-** Fidei rigida custos & vindicta, leueritas censoria, merito ante omnes pal-  
**quisitor Vra-** mam protulit, Beato Ioanni Vratislauensi Inquisitori & martyri.  
**bst. ss.**

**Miechow. li.**  
4 cap. 23.

Peruaserat e proxima Boemia, Petri Ioannis Piranensis (qui postea, ex sententia Clementi VI. Pontif. Max. exhumatus, & flammis traditus fuerat) Vratislauiam impius error, infandaque hæresis contra Ecclesiam Catholica-m, ciuisque Hierarchas sacros. Plurimos tunc iam ea cladem infectos, conabatur ad mentem saniorem Ioannes reducere. Tulit eidem opem Nankerus sanctissimus Episcopus Vratislauensis. Quamobrem in graue odium implacabilesque iras Ioannis Lucemburgensis Regis Boemiae, vterque incurrit. Primores enim ex magistratu ciues Vratislauenses, necnon & alijs ex promiscua multitudine, Inquisitoris & Episcopi liberam in persequenda, profligandaque hæresi potestatem, apud Regem hæreticum suggilla-bant & accusabant. Indigne hoc accepit Rex. Quamobrem acerbe in vtrum-que inuestitus, imprimis bona Ecclesiastica Naukeri Episcopi, omniumque Ecclesiarum & Monasteriorum, per vim occupat & diripit. Praesulem nihil tale demeritum, dum ferro nequibat, veneno mortiferо extinguit. Senatui Vratislauensi dat in mandatis, Ioannem Inquisitorem, ne sinat agere in hæreticos. Sin pergeret, manus ei iniiciat, vitaque usuram intercipiat. Oleum igni suapte incenso, infusum est a Rege Parricida. Faret fu-  
rore corruptus Senator quisque. It in cædem sanguinariam commune vulgus. Monasterij portis tumultuosè effractis, Ioannem Inquisitorem adeunt, manus ei iniiciunt, vinciunt, per ciuitatis plateas & vicos prostra-tum in terram distrahunt, tandem multis ieiubus confossum, cerebro ex-  
cuso, immaniter occidunt. Propter hanc crudelitatem, excommunicatio-nis sententia plurimi ex principalioribus feriuntur, omnesque ciuitatis & dioce-sios Ecclesiæ interdicto ecclesiastico supponuntur, a Benedecto XII. Pontifice Maximo. Qui Pontifex, puritatem Catholicae fidei, in ciuitate Vratislauensi reslorecere quamprimum desiderans, Ioanni Preczlaus Po-gorelecio, defolatae eius Ecclesiæ administrationem iniungit. monet serio, vt Boemorum Regem ad mentem saniorem reducat, & Ecclesiæ reconciliare velit. Cura Ecclesia eiusdem Preczlaus suscepit, illico ex urbe, Nyssam Silesiorum contendit. per litteras Regem parricidij quod Episcopum, sacrilegij quod Inquisitorem mactasset, leuere obiurgat, ad penitentiam salutarem hortatur. Hortatur & ad satisfactionem condignam, restitu-tionemque

tionemque Ecclesijs spoliatis & direptis. Suadet & opera pietatis quibus crima infanda admissa diluat. Mouit ea cohortatio turculentū Regem. Proinde Carolo filio Marchioni Morauiae iubet, Episcopum nomine Regio conueniret, prænitudinis signa monstraret, reconciliationemque Ecclesiæ, sublati censuris & Interdicto curaret. Cuncta per ordinem a Carolo expletur. Rex in gratiam Ecclesiæ redit certis conditionibus. Ciubus ferali rabie desæuentibus mulcta imponitur. Episcopo enim in Vratislauiam a Nyssa diuertente, & Carolo Marchione eum comitante, scribit Michelchouius, Consules ac iurati Vratislauenses, capitibus & pedibus nudatis, pallijs quoque & cingulis amotis, quasi ij supplicio extremo plectendi essent ducti ad patibulum, ex prætorio, usque ad monasterium S. Adalberti fratrum Prædicatorum, ex quo Beatum Ioannem Inquisitorem ad necem traxerant, venerunt, & in terram per modum crucis prostrati, culpa simpli citer recognita & prolata, veniam & misericordiam supplices poposcerūt. pluribus execrationibus se astringentes, nunquam similibus ausis Ecclesiæ & clerum Vratislauien, molestatos. Tanta eorum humilitate motus Preczlaus, eos in gremium Ecclesiæ suscepit, & interdictum sustulit. at Deus poenam demeritam non distulit. Nam digna plaga, indignam expulsionem Episcopi ac cleri, & cædem Ioannis inquisitoris, repente secuta est, Casuali enim igne, octaua die Maij, in Vratislavia exorto, tota ciuitas conflagravit. Visusque est tempore incendijs, a quadâ religiosa fœmina, apud S. Mauritium, extra muros Vratislauien. inclusa, Angelus contra ciuitatem exertum gestans gladium, & ardenteribus carbonibus, eandem feriens & incendens. Acta sunt hac. ann. 1342.

Pari quoque Ioannis Regis impietate occubuit, Beatus Conradus Inquisitor hæreticorum, ab ipso occisus Pragæ. post mortem multis miraculis clarus. Quibus percussi homines, sepe apud sedem Apostolicam egerrunt, ut eum in numerum Ecclesiæ Sanctorum, solemní ceremonia & ritu Summus Pontifex referret. Alumnus is fuit prouincia Poloniæ, cui denuo reiuncti erant conuentus Boemie, anno dom. 1305. in capitulo generali Genueñ. Is autem gloriosum fidei prebuit testimonium. ann. dom. 1341.

B. Conradus  
Inquisitor et  
Martyr.  
M. s. antiqu.

Antesignanos suos sequitur doceissima, zeloque fidei ardentissimo incensa Inquisitorum caterua, e quibus præcipui fuere, quorum memoria ad posteros, scriptis documentis, transiit. Antecessorum multorum, per iniuriam temporis sublata.

M. s. antiqu.

F. Venceslaus Magist. Vratislauien. Inquisitor. 1348.

F. Ioannes Chrisostomus Posnanien. Inquisitor & Mag. eodem anno.

F. Petrus Mag. Cracouien. Inquisitor. 1350.

F. Stanislaus Mag. Inquisitor. eodem anno.

F. Petrus Stephani Inquisitor Cracouien. 1403. ad ann. 1427.

F. Ioannes Prior Cracouien & Inquisitor. 1428.

Ad huius & aliorum Inquisitorum, in Sacri officij executione iuuamen, Cœstigat. R. vide

*Ex Priuilegio Ladislai Vislic. 1424. & confide- nen. 1438.* vide quam aduerso pectore', sese hæreticis opposuerit religiosissima Polonia. Lege mihi has Senatusconsult.tabulas, eorum tempore scriptas. Hæretici, eorum fautores, vbique per Capitaneos, & officia ciuilia carat. Corci- piantur.

Venientes de Boemia, per inquisidores hæreticę prauitatis examinētur.

Qui infra festum Ascensionis Domini, de Boemia non redierit, pro conuictu hæretico reputetur, bona ipsius confiscentur. ex hæres esto, infamisque perpetuo, cum patribus & progenitoribus, successoribusque suis, nec vlo priuilegio nobilitatis gaudeat.

Si quis iure communis non contentus, guerras excitet, vel hæreses promoueat, contra talem omnes consurgere debent; nec eidem vlo verbo, consilioue auxilium ferre, sub fide & honore, etiam si sit sanguine iunctus iuribus Regni saluis.

F. Petrus Cantoris. Magist. Inquisitor.  
F. Ioannes Braseatoris Inquisit. Vratislau. 1429.  
F. Nicolaus Lancicien. S. T. Bac. Inquisit. 1436.  
F. Nicolaus Aduocati Inquisit. 1447.  
F. Iacobus Grimalius S. T. Bac. Inquisitor. 1450. Extant huius Patris acta Sacri officij in archiuio conuentus Cracouien. in uno volumine conscripta.

F. Nicolaus Bresten. Magist. postea prouincialis Polonię, & eo exacto, iterum Inquisitor hæreticę prauitatis. obiit. 1463.

F. Gregorius Heycze Mag. Prior Vratislauien. & Inquisit. 1465.  
F. Nicolaus Gruneb. S. T. Lector. Inquisitor Thorunen. 1465.  
F. Mathias Conradi S. T. L. inquisitor Russię. eod. ann.  
F. Albertus de Lancicia Magist. inquisit. 1466.  
F. Dionysius. Magist. inquisit. Crac. eodem tempore.  
F. Martinus Kaczer. S. T. L. quódam prior Cracouien. inquisitor ab anno dom. 1468. vsque ad annum 1477.  
F. Georgius Mag. inquisitor 1479.  
F. Matthias Flori facundus prædicator & inquisitor 1482. obiit.  
F. Ioannes Aduocati Mag. inquisitor Vratislauiensis. 1498.  
F. Stanislaus de Paiulou. Mag. inquisitor. Cracouensis 1499.  
F. Albertus de conuentu Plocensi ad Cracouensem translatus Magist. inquisitor 1505.

Miechouius lib. de Sigif. mundi pris. Regis temporibus. F. Andreas Baccalaureus inquisitor Leopolienses. 1505.  
F. Nicolaus Znenen. S. T. Magist. inquisitor Cracouien. de quo illud reliquit Miechouius. anno inquit 1508. die 5. Aprilis. Iudæus quidam cum complicibus cæteris Sacramentum Eucharistiæ de honestauit, cæteraque nefaria perpetraverat. Cracouia igitur in Diuæ Virginis æde, frequenti Doctorum cætu præsenti, in scalam erectam statutus est, Nicolaus vero D. Dominici institutum professus, sacrarum litterarum Doctor. & hæreticę prauita-

prauitatis (vt illis dicere mos est) Inquisitor, Iudæi facinora arguebat, atq; palam errores illius cunctis faciebat. Iudæus postquam summo conatu atque intrepidè se tueretur, conuictus est, tandem nolens conuerti, secula si potestati traditus, atque igni combustus est.

F. Felix Mag. inquisit. Cracouensis. 1519.

F. Hieronymus Mag. concionator præclarus prior Cracouien. & inquisitor, Thoruniam postea missus doctrina & dexteritate sua multos ad gremium Ecclesiæ reduxit. 1538.

F. Jacobus Rossius Mag. & inquisitor.

F. Petrus de Sochaczou. Bacc. & inquisitor.

F. Martinus Sporn. inquisitor Vratislauien.

F. Jacobus S. T. Præsentatus. prior & inquisitor Cracouien. 1544.

F. Paulus Sarbinus S. Theol. Mag. inquisitor Posnanien. & postmodum Cathedralis eiusdem Ecclesiæ Canonicus. multa a Comitibus Gorcanis & Sbascij pro fide perpessus.

F. Ioannes S. T. Præsentatus. Inquisitor. Vratislauien. 1534.

Fr. Stanislaus Raduan. Magist. inquisitor 1567.

F. Melchior Mosticensis. Mag. & inquisitor.

Præstaret sanè, vt alius quispiam horum & aliorum recentiorū patrum in cōuersione hæreticorū insignes labores attolleret. ne quis ne lapidem è sepulchro, vt aiunt, prædicare pro Deo dicat. Existimo, non hyperbolico sed ingenuo sermone pronunciaret. quod olim sèpè Hosius Cardinalis, Stanislaus Carncouius, Archipresul Gnesnensis, Nicolaus Dziergouius, eiusdem antecessor, Philippus Padniewius, Franciseus Crasinius. Petrus Miescouius Antistes Cracouenses, Petrus Tylicius, successor eorundem, necnon alij innumeri, omni fide dignissimi viri, quin & ipsi hæresi infetti homines, veritate adæti sèpè sèpius proferebant: ipsos scilicet recensitos patres, vel solos se constanter, contra blasphemam hæresim obiecisse. tunc cum in Poloniam, proscripta fex Italiæ, Statorius, Stancarus, Socius, Gentilis, Blandata, Ochinus, & alij in inferos deportandi exules irrumpebant, insanaque capitis sui deliramenta in adorandam Trinitatem vomebant. tunc cum e vicina male olente Virtemberga Trepchorum, Friciorum, Sarniciorum, Niemoiouiorum, Biesagarum, Cerdonum, Pelliolum, Sutorum, Cailonum, & quorum non? a schola an popina Lutheri, Melanchtonis, Roterodami, a Caluini, & Bezae prostibulo, nutas temulenta turba prosliebat. inque sacra salutis symbola, in sanctissimam Deiparā, & reliquos cœlites, in immaculatam Christi sponsam Ecclesiam eiusque visibile supremum caput maledicam exacuebant linguam, tunc cum Ecclesiæ Catholicas vastabant profani, cum altaria demoliebantur, imagines sacras exurebant, Sacra menta taminabant, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum pro dolor, sacrilegis pedibus conculcabant; quod peius o scelus porcis glutiemad, viuam illam hostiam iactabant, in loco salutiferæ

Salutiferæ crucis patibula latronum ergebant. Virgines Deo deuotas conſtuprabant, sacerdotes proſcribabant, in ergastula coniijciebant lanienam Sanctorum exercebant, tunc cum Polonis Trinitas admiranda, non vnuſ ſed Trideus, (ò blasphemiam) eum Filius minor Patre, Spiritus Sanctus, neutri idem, ſed purus flatuſ vel feruus fuerat; cum Christuſ peccatorum onere preſſuſ, cum sacramenta mera, & pura ſigna, cum cæremoniæ ab Ecclesijs viſurpatæ, impostaſ, cum Beatissima Virgo o(impietatem) quo uis ſcorto ſalaciō; cum ſummuſ Eccleſia Praeful, Antichristuſ; cum Eccleſia Catholica Babilonis nomine a phanaticis hominibus iactabatur, preſdicabaturque; tunc cum in Comitijs Regni Generalibus conſederatio quam vocant, infarnis ſcilicet libertas, impune credendi, adorandi, praedicandi, blaſphemandi, quicquid in mentem veniret, proponebatur, & armorum genere ab hæreticis exquirebatur, tunc cum in Comitijs Petricouenſibus, Praefulibus Regni, nefariè ex Senatu ab hæreticis iam exſibilatis, quinimo, & pulſis, de ſumma fidei, & Eccleſię catholicę ſtabilitate, in regno Poloniae agebatur, & periclitabatur, tunc in Comitijs Lublinen. decernebatur, vt ex Polonia ſoli Trinitarij pellerentur, Coſfeſionisla autem & Caluinifla ex hoium genere peſtilentiffimi permitteretur ſuum virus liberè cuique inſtillare. tunc cum Draco occulē obſtrupens, inſidiator videlicet hæreticus, in Leonem ſequientem, apertum ſcilicet ſacrorum hoiſem, erumpere incipiebat: prodierunt diuini illi viri, prenominati, conculca- runt Leonem & Draconem, ſuperque aſpides & Basilicos iſtos ambula- runt. Apud Vchanscium Archiepiscopum apparebat, Fricius, Minister & Blattero hæreticus, aufuſ verbo erroris, profanae ſacras illius ædes. Obiijciebant ſe illi Cyprianus, Leonardus Baccalaureus, Gregorius Baccalaureus, & Melchior ſupradictus, & verbo ac ſcripto, Concione, diſputationibus, diſſertationibus que acutiffimis, monſtrum hoc conſodiebant, trudebant, palatiaque primi in Regno post Regem Principis, iam ſeeda doctrina illita, expiabant, Auguſto Sigismundo Regi Polonię, Brenzius & alij blaſphemii, blaſphemias ſchædas, ad ſubſribendū, quaſi aliquod diuini dogma, auſi fuerunt offerre. Iam manui regiæ porrectū calamum excuſſit Melchior; excuſſit, & libros peſteriſ erroribus ſcatentes. Et vere excuſſit, qui vniuersas blaſphemias illorum, autoritatū ſacrę ſcripturę pondere, traditionum ſuccedanea doctrina, patrum accerrimiſ teſtimonijs, ratio- num efficaci demonstratione, conſenſu orbis vnanimi, miraculorum longa ſerie, detegebat, conuincebat, confundebat, auſcultrante docili & flexili Rege Sigismundo. A ſubſellijs ſuis, pulſi erant & exſibilati vniuerſi praefules in infandis illis Petricouenſibus Comitijs Triumphum iam tunc egiffent principes illi hæretici proſcriptis a ſe ſummiſ Doctoribus, equorum labijs exquirere debebant ſcientiam. Obſtitit. F. Valeranus F. Cipri- nus, F. Melchior. F. Sarbinus, F. Fœlix, Regi Sigismundo, ſuadentes ne id fiat, niſi actum eſſe velit de ſalute Regni, puſillanimitatē poſtmodum preſulibus

Præfusibus exprobrabant, quod ij nondum in discrimen capit is aut sanguinis vocati, se statione non pelli quidem, sed cacchinnis, a vesanis sanguinibus in fugam coniici permittentes, oves suas lupis deuorandas reliquissent. nec suo cruore si opus foret, vitam eorum protegere decreuissent. Audaciam deinde turbulentorum, diuino spiritu, pro suggestu indies frangebant, & ne Draco ille ad has stellas illustres celo suo trahendas, aculeatam caudam protenderet, vigilantia solerti ad laborabant. In Comitijs generalibus, promiscuo populi furentis sermone, de rebus fidei decernendum putabant, & contendebant hæreticorum primores, tum inde libertatem credendi, vellet quis in Beelzebubum aut cerebrum, blasphemandi. cuperet quis, etiam ipsam supra adorandam Triadem; Viuendi, cogitaret etiam alter transire in Mahumetismum; faciendi, satageret aliquis Heliogabalum, Neronem, aut si mauis Satanam superare, inque dæmonem ipsum transformandi se facultatem vnicuique liberam esse voce & armis extorquebant. Huic inauditæ excordiæ in omnibus illis conventionibus se opponebat F. Melchior, in sexdecem Comitijs generalibus, quæ in annum quādoque protrahebantur, concionatoris officio functus magna cum diminutione hæreticorum accessione ad Ecclesiam credentium, & confirmatione Christi fidelium. Opponebat se & F. Lucas ille Leopoliensis, nostri saculi Oratorum Princeps, multis annis in loco Comitijs & regiæ stationi dicit, Cuitate Varsauensi, cum nondum ordinis Prædicatorum illum ibi Cœnobium esset, nec Patres Minores de obseruantia, nec Patres Eremitani S. Augustini ibidem domicilium labentes deforent, Ecclesiastis ex officio munus gerens in Ecclesia Sancti Ioannis apud Varsauenses principali. Opponebat se & magnus ille Paulus Sarbinius, licet non semel a plurimis hæreticorum præsertim a potentissimis Comitibus Gorcanis, & Sbascijs ad mortem quæreretur, quin & aliquoties patrum aberat, quin in profluentem Posnanie Vartham, ab altissimo ponte deiçeretur. Opponebat se & acer ille F. Hieronymus Ciranus, ea de causa a Gedanensibus impijs veneno enectus. Opponebat se & F. Cyprianus suffraganeus, a Gostomscio illo Rauenfi Palatino alijsque eius familiæ trucibus, & in Deum atque homines impijs hæreticis probro habitus, & ad necem quæsitus. Opponebat se & frater Leonardus, cum Frat. Sigismundo seniore, Palatino illi Cracouensi, Petro Sborouio, hæreticorum Cracouensium antesignano & Protectori, ab eodem misere diuexatus, Pudor est dicere de Samuele Sborouio, qui postmodum ob crimen Maiestatis, decreto Stephani Regis capite plexus est, quomodo ille peius cane & angue fratres Prædicatores odio prosequens, in contumelias & decoris illorum inuigilabat. Die quadam videt per Vrbis Cracouensi plateam duos incedere fratres, iubet satellitibus comprehendant, vinciant & ad se deducant illos. Vnus fuga elabitur diuino auxilio adiutus, alter eorum comprehenditur, vincitur, ad Samuelem adducitur, Fr. Laurentij

Zembrouius Eunuchus spoliatur interim, & truncus ad cruciandum missum paratur membris quæ natura cœlauit, in medium non usquequamq; diuisum imponendis & coniunctura comprehendendis. Executum fratrem illum totaliter ubi conspergit Samuel confusus, probris oneratum, e scalis precipitari iussit. Contra vero omnes illos alios Ecclesiam circumlatentes canes proprios Satanæ ministros una sola Provincia Poloniae stetit, multos eorum abegit, prostrauit, Ecclesiæ iudicio & veritatis calculo atque Apostolico decreto a Polonia proflagauit; Sanctissimæ Trinitati cultum, Christo Maiestatem, diuinitatem sacro flamini, sacramentis robur. Eucharistiæ vitam vitalem, & Deificam, Deiparæ venerationem, cœlitibus honorem inuocationis & imitationis officia, Ecclesiæ unitatem & sanctimoniam, fidei puritatem. Pastori Ecclesiæ auctoritatem. Temporis sanctitudinem, aris sacratis decus, imaginibus ornatum, Deo dicatis personis immunitatem, Senatui spirituali locum in subsellijs, Sacrae scripturæ candorem immaculatum, animabus in purgatorijs flammis poenas exsoluentibus, indulgentiam & suffragium illi Patres postliminio reddiderunt. Niemoiouium insignem Anabaptistam, Lublini iam rebus Ecclesiæ (narrabit posteritas, per quem) non ita pridem desperatis in disputatione publica apud Patres Societatis Iesu stravit Fr. Felix Magister, strauerunt & alij adhuc superstites fratres Dominicani. Scribent alijs quibus: nihil ad acres hæresiarchæ iam iam triumphantis obiectiones, mussitantibus. Socinum execrandum Trideitam, Cracouia his diebus pepulit, alter ex Contentu sanctissimæ Trinitatis Frater ordinis S. Dominici libris eius in publico foro exustis. Dembouecij apud Illustrissimum Palatinum Sandomiriensem, in maxima frequentia Procerum, Sacrilegium Anabaptistæ quendam, alter ex eadem disciplina S. Dominici fratre, libello exorcizandi energumenos prolato, & stola assumpta ex antiquo more Ecclesiæ, Demonem eidem assistentem adiurans, ne materiam blasphemandi heretico subministret, ne velinguam eius verset. Ego tibi heretice, ait, principio in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, ne amplius blasphemias istas proferre audeas, sed fileas; illico hæreticum alias lingua versatili promptum, mutum ad omnes interrogations efficit.

Omnia si hic penetrare aut prodere vellem quæ per Patres Provinciæ Poloniae, tunc solos Antagonistas hereticorum, contra eos priuatim & publicè acta sunt, quantavè accessio animarum ad gremium Ecclesiæ, eiurata hæresi, facta fuerit per eosdem, nullus finis foret, inuidieq; forsan patesceret via. Primos manipulos laborum illorum placuit ostendere, quos Moabitide Ruth colligentes, panem suum in aceto tribulationum & persecutionum ab hereticis illatarum, tingebant. Eentes ibant & flebant, portantes illos in horreum Ecclesiæ, reportaturi eorundem fructum in exultatione perenni.

*Viri doctrina eloquentiaq; præcipui ex Prouincia Polonia.*

EQVE etiam defuerunt Prouincia Polonia re & nomine  
Prædicatores de quibus illud elogium ritè enunciari potuit.  
satius quam de quopiam Romanorum.

*Flos illibatus populi suadaq; medulla.*

Qui indefesso latere, vitia hominum ac quondam Helias intrepidè &  
sine fuko carpebant, & mellita igniraq; cœlestis Patriæ desideria, rebus  
contemptis transitorijs mellifluo ore instillabant, ex suggetto, quorum  
laus fuit suis temporibus suprema in Euangelio. Prætero veteres illos  
Bronislaos, Boguslaos, Franciscum, Petrum Opatouensem, Simonem,  
Alexandrum Baccalaureum, Nicolaum de Monte, Nicolaum Lippoldi,  
Paulum celebratissimum illum suo sæculo Theologum, Bernardum Lan-  
ciciensem, Adamum, Pribislauum, Nicolaum Lodria, Iacobum Siradien-  
sem, Michaelm Magistrum Reformatorem Conuentus Gedanensis, Gre-  
gorium Lectorem Conuentus Leopoliensis. Vitum Albanum Magi-  
strum, Florianum & Victorinum, de quibus hęc Author Actorum Cate-  
dralis Ecclesiae Cracoviensis. Ad ordines Mendicantium Prædicotorum  
& Minorum, qui altissimam paupertatem, iuxta vitā Christi & Aposto-  
lorum profitentur, stylum vertimus. In eorum Monasterijs frequens &  
numerous consistere consuevit numerus fratrum, non restrictior, sed  
quandoque angustior, quam indotatis. Extollit diuina clementia suo  
fauore ordines prædictos, & personis, vita, doctrina, & sanctimonia con-  
spicuus, ad ædificandam Ecclesiam Dei idoneis, mirificat & illustrat.  
Plurimos scimus & legimus ex germine eorum raptos cœlo, & in cœle-  
stium numerum translatos esse, & suis doctrinis atque scriptis in firma-  
mento Ecclesie Dei instar luminarium splenduisse, heresisbusque contra  
Ecclesiam Dei insurgentibus, sua prædicatione & doctrina exterminium  
præbuisse. Nec minorem profectum vniuersę Christianitati & Ecclesie  
Dei attulisse, allatuerosq; fore, propitio Deo speramus. Cracoviensis au-  
tem Ecclesia & Diœcesis, maximo eos fauore & gratia tenetur complecti.  
quoniam illi ad procurandam Canonizationem Beatissimi Stanislai Pre-  
fus Cracoviensis maximos conatus, sudores & labores impēderunt. Sed  
& frater Vincentius de Kielze ordinis Prædicotorum, nullatenus neglige-  
dus, sed præsenti scripto & memorie inserendus, qui B. Martyris Stanislai  
Canonizati vitam & historiam ad singulas horas diurnas & nocturnas ab  
Ecclesia explendas, legendasq; nec non Cantica suavi ac spectabili mo-  
dulatione, concinnaq; ac diserta descriptione, primus composuit & de-  
scripsit, & altissimis cantibus & præconijs suis suaptè stupendum atque  
admirandum insigniter nobilitavit proprium decus cuilibet officio, cui-

*Annales Ec-  
clesiae Cathe-  
dral. Craco.*

libet Responsorio & Antiphonę diuino vt reor spiritu inspiratus adiecit, ita vt nou tantum nobis ex Polonorum genere satis, & qui sanctum Dei magnō cultu & maiori veneratione ultra ceteros obligamur extollere, sed etiam exteris sit in admirationem. Hac ille de Patribus illis & alijs. Ex quibus ego raseo, & illos quos Leander breuiter commemorat. Nec misericordia, inquit, Paulum Baccalaureum Polonum, cum nonnullis Polonis viris illustribus, videlicet Ioanne Mogilnicza, Mariano Cracouensi, & Floriano cum Martino, Andrea Fabri, Simone de Posnania, Ioanne Zeisz, & Remigio. Et alibi. Vide, ait, illos Polonos, viros insignes, videlicet Ludolphum virum doctrina ac opinione apud omnes in sua Prouincia praeclarissimum. Nicolaum de Znena, Religionis optimum zelatorem, & Albertum cum Ioanne de Secemino, & altero Ioanne aduocati, quos vt vides sequitur Andreas Cracouensis, elegantis cōversationis, Iacob Vratislauiensis, Albertus Thaurini, Matthias Cola, cum Stanislao ac Dominico Cracouensi. Omitto & alios innumeros, doctrinæ subtilitate, atq; eloquentia flore, præcellentes Patres, quorum memoriam vetustas parum diligens aboleuit. Fieri enim non potuit vt ex studio generali Cracouensi, quod semper adeò fuit celeberrimum, vt illud Hungaria, Germania, alieq; Prouincie in admiratione habuerint, non prodirent viri eruditione illustres, præsertim verò ex institutis peregrinationibus longinquis ad exteras Prouincias gratia bonarum litterarum. Frequens enim hoc fuit apud prouinciam, vt fratres ad cultissima studia aliarum regionum manumitteret, in Germaniam ad Coloniense & Viennense Gymnasium, in Galliā, ad Lutetiam, in Italiam parentem sapientiæ, ad altricem studiorum Bononiā, Perusium, Patauium, Neapolim, Ticinum, in Hispanias quoque excurrebant ad Salmantinum, vt ex illis, penū refertissimum sapientiæ in prouinciam referrent. Sed & cum Academia Cracouensi, Ciuitatis nemini in Europæ solo secunda, perennem iunxerant amicitiam, consuetudinemq; litterariam, vt pote cum viris bonitate morū, & doctrina conspicuis suspiciendis. In ea saepè Magisterij laurea ornabantur, Numerantur ad hæc tempora nouem supra triginta, qui insigne Theologorum decus in Academia Cracouensi ob Theologia studia cum laude publica absoluta, tulere. Quamobrem si omnes scientia & suadela insignes prouinciæ patres, mihi percensendi esseat, liber excresceret, nec esset compendiarius indiculus. Prætereundi tamen non sunt aliqui, qui nostro tempore maximè floruerunt, nempe F. Lucas Leopolien sis Magist. F. Bortolomaeus Posnaniensis Mag. F. Stanislaus Brestensis. Magist. F. Vitus Semb. Mag. Fr. Gregorius Broda, F. Martinus Fiolus, F. Valerianus senior, is qui nobis reliquit Flores Logiæ vniuersitatem, Cracovię impressos, & F. Florianus Lector, F. Hieronymus, Fr. Hiacinthus Baccalaurei, F. Leonardus Baccalaureus, is qui primus Biblia in idioma Polonū trāstulit suo ex humilitate suppresso nomine, F. Iasias Leopolien sis, Mag. F. Dominicus, Mag. Prior Pleensis, F.

Leand. ls. 3.  
4 & 5.

Hieremias Rezler, & F. Bernardus Iancouius suauissimiis moribus Lectores, & is qui me religionis iugo subdidit, sempiterna memoria dignus, Fr. Ioannes Chrisostomus Romanouius S. Theologæ Magister, mira in dendo gratia. Qui ob sublimem rerum indagationem, dicendi peritiam, promptitudinem facundię, continuos flores, feruentissimas hortationes, clarissimamq; virtutum ornamenta, immortalē apud mortales famam, utilitasq; coronas, apud celites assecuti, perpetuò florebunt & vigebunt.

Hos sequitur F. Felix Syradiensis, Mag. suauissimus in ḥe Principe Beatiissimā Deiparę Cracouien. totis vndecim annis concionator, verè felix. Omne enim punctum tulerat, quia miscebat vtile dulci. In vultu atque in tota compositione corporis maxime amabilis, & benignissimis moribus quos interdū saluberrima seueritate miscebat, & ceu sale aliquo condiebat, præsertim in officio prouincialis, quod felicissimè bina vice obi- bat, obiit Syradia, multis pro prouincia deuoratis curis, ann. dom. 1602.

Fratri quoque Michaelis Mostuen. Mag. obliuisci nec debeo nec possum, qui vt erat vir integerrimus, ita fuit disputator subtilissimus. Alterū Zenonem aut Crisippum poterat nostriū s̄eculum appellare, tanti acuminis in docendo & disputando ille fuit, suauitas præterea tanta fuit distinctionis in eo, eaque morum compositio, vt auditorum mentes, & inescaret facilimè, vehementia certe talis, vt vinceret facilius. Vno verbo mixtus erat cum grauitate lepos, qui rarissimè sequitur illos, qui seuerioribus studijs animos exasperarunt magis, quam emolliuerunt. Decessit Posnaniæ Prioris officio fungens, ann. dom. 1599.

Hunc proximè vt officij autoritate, ita doctrinæ subtilitate, secutus est, Phœnix Doctorum, Pater F. Camillus Samboriensis. S. Theol. Magist. è Conuentu Cracouensi ad miraculum, Italia & Polonia Academiarum doctus & acer, Heu infida, & inuida mors, præripuisti philosophis Aristotele alterū. Mathesi Albumazarē, poetis Gracis, & Latinis Virgilium, & Homerum, Theologis nouum Caetanum, religioni & prouinciae decus illustre, conuentui Posnaniensi Pastorem optimum, nobis suauem condisci pulum, junioribus præceptorem Methodicum, Cracouensi monasterio, & studio, delitium; Poloniæ vniuersa prodigium. trigesimum excedens annum, moritur Posnaniæ decimo Kal. Nouemb. ann. 1605.

## C A P V T D E C I M V M .

Pater F. Melchior Mostuenis. S. Theolog. Mag.



V V A T quoque meminisse, fratri Melchioris Mosticensis. S. Theol. Mag. nostra ætate viri sanctissimi & prædicatoris feruentissimi, ad cuius melleam facundiam, vniuersa Sarmatia ora sua obuertebat. Hic natus est in Mosticensi oppido diec-

fis

sis Præmisliensis anno dom. 1511. humilibus quidem, sed pietate Christia-  
na, ornatis parentibus, a primis pueritiae annis litteris imbuendum pusil-  
lum Cracouiam destinaverunt, sumptibus pro ratione suorum censuum,  
subministratis, puer optima indolis scolarum limina terens, a præcepto-  
ribus non scientia solum, verum & probitatis semina excipiebat, illa qui-  
dem memori mente condebat, hæc vero exercitio, virtutis in se exprime-  
bat, a studio litterario aliquid otij nactus, totum pietatis christianaæ stu-  
dio dabat, hinc sanctissimæ Trinitatis templo sibi obiecto Cracouiæ, illud  
frequens intrabat, in quo ante sepulturam S. Hiacynthi, precibus Deum  
fatigans, in diligendo vitæ genere, ab inspiratione diuina totus pendebat.  
Sacrum Missæ sacrificium, cōcionesque pro more Ecclesiæ Catholicæ non  
nisi apud fratres S. Dominici sedulo audiebat, peccata si qua haberet, au-  
ribus eorundem exponebat, & viuifico salutis nostræ Sacramēto in eadem  
Ecclesia, idque frequentissime reficiebatur. Ad religionis tandem ingressum  
cogitationem impellens se a teneris annis, eidem nuncupauit, in eo-  
dem conuentu Sanctissimæ Trinitatis voto solemnri post annum emisso,  
illo apophategmate lenioris cuiusdam, ad austerioris vitæ obseruantiam se  
in dies excitabat. Tali animo sis frater Melchior hodie, quali fuisti eo, quo  
te religionis amor incessit, quoque ordinis veste tectus fuisti. Ex ephæbis  
excedens, cultura litterarum & actione virtutum seipso maior indies fie-  
bat. In Italiam gratia studiorum dimissus, ex ameno illo disciplinarum &  
scientiarum illicio florem cum uberrimo fructu in Poloniā retulit.  
Quamobrem in prælectionibus atque disputationibus, subtilitate, facilitate,  
& claritate tanta fuit, ut res difficillimas, pro captu etiam rudiorum  
tyronum explicaret. In concionibus felicitate dicendi admiranda, mul-  
cebat animos, diuina quadam energia, quæ non tantum selectissimorum  
verborum copia, explendescebat, sed rerum etiam potissimum autem Sa-  
crae scripturæ sententijs sine quibus vix vnam aut alteram periodum po-  
tuit contexere: adeo in succum verterat lectionem scripturarum, Acrimonia in persequendis hereseon erroribus tanta, ut Augustinum ipsum pu-  
tares. Facilitas in dicendo, & res abstrusas Theologie explicando, arguti sa-  
les in improbos, quibus eos mire perstringebat: Vehementia quedam mo-  
desta, in persuadendo, pelliciendoque, constantia & animi magnitudo, in  
obiurgandis vitijs, Ioannem aliquem nouum, vel Chrysostomum dicebant  
illum fore homines. Obductis ille palpebris neminem fere conspiciens,  
nullius personam vt respiceret, sed promiscue vt omnes doceret, moneret,  
argueretque concionabatur. Ferunt maiores, qui illum concionantem  
viderunt, audierunt, quando de extremo Dei Iudicio quadam die concio-  
naretur, se vultum illius totum ignibus quibusdam inflammatum & ra-  
dijs emicantem conspexisse. Crediderim faciem illius tanquam alterius  
Moysis, luce quadam mirabili dotatam fuisse, quam auditores sui irretortis  
oculis spectare non possent; siue id contemplatio efficiebat, rerum cœle-  
stium

stium, quibus vnicè oblectabatur, (illa enim transfiguratos a se dimittre soleat in alienam speciem) siue vehementia dictionis, que vultum illum, alijs temporibus pallidiusculum & præ modestia tenuem, motione sua tanquam purpura vel igne tinxerat. Hec reliquerat in sua Quincunxe, Oriocho, uis de Melchiore, Melchior inquit ordinis Prædicatorum popularis noster, nepe Mosticensis, dum Leopoli concionatur. Tragediam illam Dathanis & xe.

Abironis digito protenso nobis ostenderat, hiscentem terrę voraginem, in nos infandos blasphemos apertam. Et re vera tantum nobis terrorem incusserat, ait, quasi nos omnes repentino hiatu terra absorbere, inque barathrum inferni traijcere deberet. Eodem in loco refert quoque de. P. F. Luca Mag. Leopolitano grauissimo & copiosissimo oratore, in quo fulmina Periclis, vertatem Demosthenis, æquus & eruditus talium rerum astimator agnoscere non difficulter poterat. Nam rapiebat animos quo volebat, ita ut plerumque præ singultibus & ploratibus audientium vix sentiretur, & in medio cursu, quiescere opus haberet, quo ad vulnus ille resideret. Rhetores Academicci illum tanquam rediuium aliquem Ciceronē stupebant, & ad eum disertissimus ille Stanislaus Miescouius suos discipulos remittebat. Non amplius se, aut quemquam antiquorum interrogarent, quomodo actionem, Triumphum scilicet oratoriae facultatis efformarent. palam esse exemplar, quod imitando, si in secundis, aut tertii considerint, sat is beatos esse futuros. De hoc itaque Orichouius. Audiuī concionantem Lucam, Leopolitanum Dominicanum, popularem nostrum, Is in frequenti concursu Præuorsensi die festo conceptionis B. Virginis, coram illa ut generis nobilitate, ita virtutum splendore, connubij excuso gradu, multo verò magis sanctimonia vita illustri Domina Sophia Odrouanzia, Castellanea Voinicensi, expendens M:cheæ illud, quinto capite usurpansque in Regnum Poloniae verbis terrificis, hoc quod in Irael. Nunc vastaberis filia latronis, obsidionem posuerunt contra nos, in virga percutient, maxillam Iudicis Israel. tantis terroribus, metuque perculerat omnes, ut tremeret quasi in aperto Dei iudicio, ita nostros oculos aperuerat ad futuram cladem nostram. Illud quoque præclarum est, quod in P. Melchiorem scribit Scolovius vir doctissimus, & Stephani primi Regis Poloniae Ecclesiastes disertissimus. Delineat oratorem hanc in verba. Oratorum supellestili parcè & verecundè vtetur, simplicitate, veritate, & grauitate contentus, genus dicendi adhibebit sanum, castum, securum, perspicuum, verecundum, modestum, moratum, a sermone familiariter non remotum, ex sacris Euangelijs, D. Pauli, & aliorum Sanctorum doctrina, sacris Canonibus, sacrisque Patribus contextum, quale quondam mirabamur in hoc ipso Melchiore Dominicanō, non magis voce, quam vita & moribus concionatore, qui totam illam orationem acumine quodam condiebat. Sed cæteras eius virtutes prosequamur. Orationi mitificè vacabat, maxime autem officio quod promortuæ vocatur, quod ille bis in die recitare.

Stanislaus  
Orichouius  
in Qumcun-

P. F. Lucas  
Mag.  
F. Fabianus  
Bericou ex  
relat. Pas.

Scolovius  
In Partitio-  
nibus Eccle-  
siasticis.

recitare consueuerat, semel pro fratribus & ijs, qui in Domino obierant; iterum pro se tanquam pro mortuo, mortem enim in corpore & in animo suo assidue circumferebat. Abstinentia admirabili, ieunijs, disciplinis, per uigilijs atterebat exiguum illud corpusculum, studio diuinarum litterarum, dies noctesque quantum aboratione, vel cura prouinciat supererat, totum impendebat. Prouincia administratione velcum primis illis religionis patribus, merito comparandus. Is plurima prouincia Polonæ Monasteria, malitia temporum collapsa restauranda curauit. Is collabentem aliquantulum prouincia religiosum rigorem, seueritate diligentissima, restituit. Is sanctitate vita, prædicationisque feroce, plurimos Christo, religionique adiuxit. Is ab hereticis occupata bona quorundam conuentuū, immo & conuentum ipsum Gedanensem, iam ferè in prostibulum ab impijs ciuibus heresi infectis, versum, religioni vindicauit. Is conuentum Leopoliensem cui præerat officio prioris functus, innumeris ornamenti & commodis auxit. Is inter curas regiminis, propter vitæ sanctitatem & conscientiæ nitidum candorem, omnibus amabilis. Obrutus ille laboribus immensis licet, non tamen a studio concionandi desistebat. nullam occasionem a vinculis demonis eripiendarum animarum prætermittebat, ad aliquot millia hereticorum censentur, quos ille ad gremium Ecclesiæ diuinis concionibus reuocauit. Ita quod illud quoque in illum poscit usurpari elogium quod in Diuum quendam tulit B. Prosper. Acer ingenio suavis eloquio, secularis litteratura peritus, in Ecclesiasticis laboribus operosus, in quotidianis disputationibus clarus, in omni actione sua compitus, in quætionibus soluendis acutus, in conuincendis hereticis circumspectus, in expositione fidei nostræ Catholicæ, in explanandis canonice scripturis cautus. hereticorum omnium malleus fortissimus.

*Lib. 3. de vita et tempore.*

Patientia vero animi infracta usque ad extremam vitæ etatem, ita ut inter grauissimas itinerum & persequentium iniurias, non nisi verbum illud ordinis *Benedictus Deus, ingeminare solebat.* Et cum atrociori aliqua iniuria & intoleranda tribulatione premeretur, illud patienter proferebat. *Ego autem in flagella paratus sum.* Ego scapulas iam paraui, percutite omnes citius vos percutiendo fatigabitini, quam ego æquanimiter suffrindo. Humilitate mentis demissa, ut tum ei Camenecensis & ea altior Premisiensis Episcopalis, necno & Metropolitana Leopoliensis dignitas a Sigismundo Augusto Rege Poloniæ deferretur pro modestia, proque religionis amore constantissime eas recusaret. Prouincię quidem administrationem quarto resumpsit, ipsius tamen prouincię fere sanguineis lachrimis fatigatus. Quę eius opera, tunc maxime egebat, dum furij recentibus hereticorum, iniuriaque temporum misere dilacerabatur, adque interitum vergebat. Quibus quem magis industrium, magisque zelantem, pro domo Dei opponeret, præter Patrem Melchiorem his virtutibus cultum, non facile tunc inueniebat. Apud Gregorium Pontificem Max. eius nominis

nominis XIII. relatione Hosij Cardinalis, summo in precio erat. Cuius quoque præsentia Sanctissimus ille Pontifex, dum capitulo generali Rom. 1580. interesseret, supra modum recreatus, atque ab eodem in processione solemnri honoris causa deductus, multa pro gloria S. Hiacynti & prouinciæ Poloniæ in eius gratiam concessit. Tandem immensis laboribus exiliatus, multis post se filijs prouinciæ quasi luminibus relictis, Cracoviæ senectutis sua extremo tempore in maxima humilitate degens, sacra missæ sacrificia, singulis diebus, imo ex pectore fusis lacrimis Deo offerens, ubi ex lienteria laborare cepisset, ultimumque terminum sibi immunitere sensisset, Sacramentis omnibus more Religioso procuratus, inter manus nostras, omnibus collachrimantibus purissimum Deo spiritum reddidit. Sepultus in effossa humo, prout ipse ex humilitate fratres obstrinxerat, indignum se censens communii patrum sepultura. Patres etiæ Centaphium ex lecto marmore proposuerunt.

Reuerendo patri F. Melchiori a Mosciska S. Theol. Docto. feruentissimo prædicatori, acerrimo fidei catholicæ defensori, huius conuentus filio, Patri, ac benefactori, olim per vigintiquatuor annos prouinciali Poloniæ, Patres Conuen. obseruantæ ergo posuerunt. obiit anno dom. 1591. die 19. Maij, ætatis vero suæ ann. 80.

Eius tale est elogium, in Martyrologio religionis, F. Melchior Mosticen. Polonus, ad decrepitam usque ætatem uitamduxit, sanctissimam, episcopatibusq; horribus religionis amore repudiatis, bonorum operum plenus cœlo fruitur sempiterno.

Quonam verò ille spiritu curarit hæretorum conuersionem, dum Bernardinum Ochinum hæresiarcham blasphemum, dehortatur ab errore, ex hac flammea eius epistola accipe quam ipse viuens prælo dederat, suo ex modestia presso nomine.

*Ad fratrem Bernardinum Ochinum Senensem, Ecclesie Matris & Religionis Capuccinæ desertorem, deploratoria Epistola.*

Fratri Melchioris Mosticen. S. T. Mag. Ordinis Prædicatorum.

VID tibi in mentem venit, ò Bernardine? Quis te Damoni malus velut olim reprobum Israeliticum Regem arripuit spiritus? Pater mi, Pater mi: Currus Israel & auriga eius. Quem in spiritu & virtute Heliæ ascendentem paulò antè mirabamur in cœlum; quid modò cum curribus & equis Pharaonis descendenter dolemus in infernum? Quomodo cecisti Lucifer, qui manè oriebaris. Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus. Argentum tuum versum in Schoriam. Vinum tuum mixtum est aqua. *Vinca Dei electa, vinca deliciosa, vinca fertilis,* *qua*

1. Reg. 16.

4. Reg. 2.

Exo. 14.

Isa. 14.

Tren. 4.

Isa. 1.

Isa. 5.

Tren. 4.

Cant. 1.

Gal. 3.

Ezech. 28.

Matth. 5.

Isa. 43.

Canc. 1.

1. Petr. 5.

Ezech. 28.

Pf 49.

Ierem. 7.

1. Petr. 2.

Math. 5.

Ezech. 28.

1. Reg. 15.

Roman. 1.

Tren. 3.

quę suauissimos botros proferebas, quomodo conuersa es in amaritudinem? Vitis aliena expeſatus vt faceres vuas, quid tam acerbas fecisti labrusca? Qui filios tuos dulcissime inebriabas, modò eis amarum fel & acetum propinas? Qui nutriebaris in croceis, quomodo amplexatus es sclerora? Quid orbatum lugemus, & sterilem, quem innumerabilium videbamus patrem filiorum letantem? Totus ad te fluebat populus Italicus. Totus inter vbera tua morabatur. Tu terram tuam disperdidisti. Tu populum tuum occidisti. O insensate senex, quis te fascinavit vt ad aliud te conuerteres Euangelium, quod non ab vberibus matris tue suscisti? vt alium tibi confingeres Christum, quem a Catholica ecclesia non didicisti? Tu signaculum similitudinis. Tu precepisti altissimi. Tu longè atque sonans tuba. Tu plenus doctrina. Tu decorus scientia. Tu Cherubin extensus & protegens. Tu in delicijs paradisi Dei fuisti. Posuerat te Dominus in monte sancto suo. Posuerat te lucernam super candelabrum, posuerat in lumen gentium. Posuerat in salem populi orum, posuerat columnam in templo suo. Posuerat custodem in vineis, posuerat pascere gregem populi sui, & eleuatum est cor tuum in decore tuo. Perdidisti sapientiam tuam in altitudine superbie tue, in multitudine iniuriarum. Poluisti sanctificationem tuam, proiecisti sermones eius retrorsum. Conuertisti te ad Idola domus Israel, libasti Baal, lapis factus es offensionis, & petra scandali in vniuerso mundo. Idcirco proiecit te in terram, & quasi sal infatuatum emisit foras, vt conculceris ab hominibus. Omnes qui viderunt te, omnes qui audierunt te, obstupecunt super te, quia nihil factus es & non eris: morte incircumcisorum morieris in manu alienorum. O inquam insensate senex, an non agnoscis has omnes propheticas voces in te esse completas? Has non ignoras vir doctissimus. Has non ignoras vir in sacris litteris eruditus. Ah quam magnus eras Bernardine in oculis omnium, si in oculis tuis parvus esset voluisse: Ah quam pulcher eras & speciosus, nisi speciem ipse tuam adamasses, nisi umbram ipse tuam captare contenderes: veram pulchritudinem teq; ipsum miserè demersisses, cum sartu tuum illud & rude sagum rubentes pileos & pontificum mitras supererat. Nobile illud stratum tuum in create & tabulis, mollissimis cubilibus deliciosius poterat estimari. Profunda tua & admiranda paupertas, omnes terrae diuitias possidebat: exaltata erat in mundo, & usque ad celos gloria tua, modò traditus es in reprobum sensum, factus es in derisum omni populo, cantum eorum tota die. Ut quid tam male hodie audit propter te Monasticum nomen? Tam male tractatur Euangelicum ministerium, tam male habetur prædicationis officium? An non pudet hominem senem, hominem ab infantia Christianum, à pueritia Deo dicatum, ad tantam insaniam deuenisse? vt in graui hac ætate tua ea vel dicere vel facere non erubescas, que nec Ethnici faciunt, nec Publicani. Tu altissimam iam semel & setudo professus paupertatem, modò pecuniā contrahis, modò pauperis te posnit.

nitet Christi? Tu antiqua ordinis tui non contentus abstinentia , nouum  
 tibi ac sectoribus tuis rigorem viuendi iniunxeras , longiores vigilias , a-  
 crieres inedias, asperiorum vestitum, duriora itinera, humiliorem corporis  
 nuditatem, arctiorem rerum omnium, agestatem. Hæc tu magister indu-  
 xisti. Hæc tu in perfecta iam & senili ætate comprobasti . Nulla hic adole-  
 scens ię excusatio nulla ignorantę ratione , nullus errori relinquitur lo-  
 cus. Modò repentina leuitate , sacrilega mutatione, non dexteræ excelsi ,  
 sed inuidiæ diaboli, atrita fronte procedis, seculari habitu mollibus indu-  
 tus; modò sacra irrides:modò iejunia abrogas:modò cōtinentiam culpas :  
 modò absque dierum selectu vel reuerentia quibuscumque pinguis fa-  
 ginaris : modò hesternam eruſtas cenam, & crudum pauonem in balnea  
 portas. Toto ḥtatis tuę tempore facie lurida, barba prolixa , veste pannosa,  
 ſeuoram ac Stoicam pollicitus vitam, nunc vnguenta redoles , nunc lautię  
 te habes, nunc bachanalia viuis. Multa bona opera ostendisti mundo, mul-  
 tos ab erroribus reuocasti, multos continenter viuere docuisti, multos ad  
 eleemosynarum largitionem persuadisti, multos ad melioris vite frugem  
 adduxisti, nunc quicquid ædificasti destruis: quicquid parasti amitis: nūc  
 quantum in te est , malo tuo exemplo omnes ad vomitum compellis : &  
 qui tam peruersè & impudenter peccas, multo deterius quod peccas ex-  
 casas : & dum ad ea quæ male agis tuaque turpitudini patronus accedis ,  
 magis quam eras peccator efficeris. Detur timore Romani Pontificis qui  
 peccasti: detur carni & sanguini qui ad Schismaticas partes commigrasti,  
 certè maledictiæ tuae virus, impium tuae excusationis venenum nulla si-  
 mulatio protegit, nulla falsa cauſa defendit. Pudet me Pater semper vene-  
 rande, pudet omnes candidos Christianę pieratis cultores , ea te de te ipso  
 iactantem audire , que nullus vñquam aduerſarius ausus fuisset tibi im-  
 pingere. Scribis enim in præclaris illis tuis, que vulgo circumferuntur Ap-  
 pologeticis litteris, haec tenus te Christiano populo personatum, veloque  
 opertum Christum concionatum fuisse, deinceps verò prium illum & ma-  
 nifestum producturum in medium communaris : quid est quod loqueris  
 pater, quasi in tua positum sit potestate nouum quotidie Christum pro-  
 ferre, nec qualis sit, sed qualem tibi libeat, licite prædicare ? An non vides  
 tuis te teneri laqueis, tuis te pedicis irretiri? quæ namque saxa, quæ crucis,  
 quis paricidalis culeus, quæ asinaria mola , in tuum caput, in tuam cervi-  
 cem, in tuum sufficiant suplicium? Si verū est, quod tu de te ipso Im-  
 postor sacrilegus confiteris . An putas te impunè Christianū populum iam-  
 dudum illudere potuisse, qui Antichristum pro Christo prædicaueris, qui  
 Pharisaeum fermentum , qui Diabolicum farmacum, pro fana doctrina ,  
 pro veraci lacte proposueris? Siccine simplicem gregem infecisti ? Siccine  
 innocentes oves crudelis carnifex sermonum tuorum lenocinio ad lanien-  
 nam attraxisti? & quā tibi fidem adhibendam sperare possis, qui tam diu  
 impijissimis mendacijs auditores tuos seduxeris? qui tam diu panem pol-

Iutum porrexeris? qui tam diu diuinum verbum adulteraueris? Vides ad quod saxonum impingis pater. vides quam profundam tibi preparas foueam. vides quam ex diametro in verticem tuum iniquitas tua descendit. Attende obsecro, quam male tibi non constas, quam periculose te ipsum mutas. Si veritatem tibi esse constabat apud Lutherum: si Petrum & Paulum, eorumque Ecclesias successores non recte videbas ambulantes in sinceritate Euangelij: si, que in populis predicabas, non secundum Catholicam fidem esse sciebas; cur tanto tempore veritatem Dei in tua iniustitia detinuisti? cur tanto tempore in stercore ipso tuo computruisti? cur tanto tempore impietate Ieroboam, in tuis vitulis aureis omnem Israel peccare fecisti? An putas strophis hisce tuis nos illudere, & ne veram praevaricationis tuae causam agnoscamus, cornicium (vt veteri dicitur prouerbiorum oculos configere: quin potius cum Babylonicorege confiteris, quin vociferas & dicas; haec tenus ecclesiis vera prædicani, haec tenus in sana doctrina perseverauerai. haec tenus Catholicum sensum gustauis, haec tenus, talentum mihi traditum fideliter dispensauis; nunc superbia mutauit cor meum, nunc lumen oculorum meorum non habeo, nunc fenum agri ut bos comedo, nunc rationalem exutus mentem cum feris & bestiis habito. Quis non videt: quis non intelligit? quod spiritu ab Ecclesia recesseris? ductus sis in desertum ut tentareris & vincereris a Diabolo, dum magnus haberis in Ecclesia, dum te principes audient, dum te mirantur populi, dum nobiles te prædicanter cœtiates Italiam, dum tua latet Hypocrisis. Verus est Christus quem prædictas: sana est doctrina quam loqueris: incorruptum est verbum quod edisseris. At ubi sanctissimus Pontifex te citat, ubi te conscientia tua te accusat, ubi iniquitas penitentiam formidat; nunc primum nudum te agnoscis, nunc primum Christo velamen detrahis, nunc primum ad aliud Euangeliū te conuertis. Vides in se non cohærente mendacium? sentis male factum figmentum? Si falsa dicebas, tunc reus eras. Si vera dicebas, nunc reum te facis. Si male locutus es, testimonium penitentiae perhibe de malo. Asperge te cinere, accinge te sacco, indu te cilicio, in ieunio & fletu & planctu te penitentem ostende, videat populus quem seduxisti, videat Ecclesia quam decepisti, quod iniquitatem tuam agnoscis, quod peccatum tuum contra te est semper. Hanc penitentie formam, vel tuus ipse bonorum omnium antiquator Euangelicus Epicurus Lutherus non negabit, quam in Israelicō Rege, quam in Niniuitis, quam in cæteris omnibus penitentium omnium arbiter Deus probauit. Nunc tuus verè tibi induendus erat saccus, quem ut iactanter fortassis assumpseris, sic procul dubio temerarie dimisisti. Nunc dura subeunda erat Eremus, ubi & Pontificis vilitionem uitares, & diuinam aduersum te indignationem placares. Tu vero spredo Religiosocultu, diuino genericis vtero, confractis vberibus sponsis tue, abrogatis sacris ceremonijs, relictis patrijs legibus; confugisti ad Aſſirios, defecisti ad Babylonios, conuertisti te ad Balach, & fecisti tibi præputium

Rom. 1.

Ioh. 1.

Eccle. 47.

Danie. 4.

Mar. 4.

P/50.

2. Reg. 11.

Iona. 3.

1. Mach. 1.

putium iuxta ritū gentium, vt dimices aduersus matrem tuam, vt ex pro- <sup>1. Reg. 17.</sup>  
 bres populum Israel, vt maledicas Ecclesię Dei, vt summo Pontifici detra- <sup>Ezech. 2.</sup>  
 has. Accessisti ad gentem Apostratricem, ad domum exasperantem, ad po-  
 pulum incredulum & rebellem, vbi crapulae ventrique inseruias, vbi in-  
 cestuosa matrimonia iungas, vbi Epicurum agas, vbi bona omnia opera  
 deneges, vbi Christum denuo crucifigens inconsutilem eius tunicam scin- <sup>Gal. 5.</sup>  
 das, partemque tibi ex ea cum impissimis militibus facias, vbi Euangeli-  
 cam libertatem iuxta quod beatus predixit Apostolus in occasionem car- <sup>1ob. 25.</sup>  
 nis conuertas. Heu, heu, pater mi, quid fecisti nobis sic, tantumne potuit <sup>1ob. 4.</sup>  
 indignatio? tantum præualuit ambitio viri? astra non sunt munda in con-  
 spectu Dei, & in Angelis suis reperit prauitatem. An non facius erat in  
 exilium & in carcerem ire, quām Ecclesiam Dei confundere? An non pre-  
 stabat ipsam et, am si necesse erat mortem oppetere, quām Dei tui legem  
 derelinquere? quām sacra vota constringere? quām solemnia patrum insti-  
 tuta præterire? Vt quid tanto totius orbis scandalo, tanta animarum perdi-  
 tione, tanto existimationis tuæ dedecore, caniciem tuam deducis cum do-  
 lore ad inferos? Adhuc in auribus nostris resonant tuæ illæ luculentissime  
 conciones de continetiæ laudibus, de sacrorum deuotione, de iejuniorum  
 obseruantia, de mirificis sanctorum præconijs, de Monasticis celebrationi-  
 bus, de paupertatis honore. Adhuc ante oculos nostros apparet discalcea-  
 tus, pannosus, horridus, adhuc alges, adhuc esuris, adhuc sitis, adhuc nu-  
 dus existis, & inter opiparas epulas, & comedationes, inter delicias, & cubi-  
 lia, inter mollia strata, inter vulgares tabernas, inter ebrios, inter incestuosos,  
 inter blasphemos, inuercundus Apostata videri sustines? Matrem que-  
 te genuit dereliquisti, ex cuius ore mel & lac dulcissime suscepisti, & ape-  
 ris contra eam os tuum, exacuis contra eam linguam tuam, leuas contra  
 eam calcaneum tuū. Vbi illæ tuę magnifice voces de mundi contemptu, de  
 persecutione, de beatitudine, de constantia in aduersis casibus? vbi acerri-  
 me ille tuę inuectiones, contra ardentes honorum cupiditates, contra am-  
 bitionum vanitates, & insanias falsas? Confusa sunt omnia, cassa sunt om-  
 nnia. Vbi tu ipse, qui prædicabas non furandum, furaris, qui dicebas non  
 mēchandum, mēcharis, qui abominabis Idola, sacrilegium facis. Vbi tu  
 ipse magister totum id opere destruis, quod dicebas. Quis dabit capitl meo  
 aquam, quis oculis meis fontem lachrymarum, vt nocte fleam, vt luce  
 fleam, baculum Ecclesię confractum, magistrum populorum obcecatum,  
 sapientem patrem in reprobum sensum datum, pastorem in lupum com-  
 mutatum, Christi præconem Diabolum factum? Quis magnum mihi su-  
 scit et Samuelem, qui Regem à Deo recedentem deploret? quis mansue-  
 tissimum Davidem exhibeat, qui Absalonem lugebat infelicem? quis pro-  
 ferat Euangelicum patrem, qui à meretricibus euertentem filium prodi-  
 gum recipiat? si forte surgas, si forte ad eum accedas & dicas: Pater, pecca-  
 ui in celum & coram te, non ium dignus vocari filius tuus, fac me sicut <sup>Luc. 15.</sup>

vnum de mercenarijs tuis<sup>1.</sup> An nō tibi melius existimas reuerti ad patrem tuum, id domum genitricis tuae, vbi abundabas panibus, quām in longinqua à Deo regione pascentem porcos, fame mori? Quid tibi in barbaris gentibus? quid tibi in externis aedibus? quid cū nutrice aliena? quid cum crudeli nouerca? quid cum muliere meretrice, quæ & suum oppressit, & viuentem verè matris filium conatur diuidere? Agnosce ventrem qui te portauit: agnosce vbera quæ te lactauerunt, agnosce vocem vocantis, vocem plorantis, vocem in Rhama, vocem ab excelsa clamantis: Reuertere dilecte mi, & assimilare capreç hinnuloque cervorū, super montes Bethor, super montes aromatum: non poterit obliuisci mater infantem suum: non poterit se pater continere, quin occurrat, quin amplexetur, quin osculetur, quin proferat stolam primam, & occidat vitulum saginatum: mitescet super te virga pīj Pontificis, vbi mitescet in te furor sacrilegi erroris: septies indulgentem patrem, vbi te exhibcas Catholicum filium: Moneat te sanctorum chorus, moueant te fratrū tuorum præces, moueant lachrymæ filiorum, Noli illos despicere, noli illos parui facere, pro quibus mortuus est Christus. Leua in circuitu oculos tuos & vide, quos in Christo genuisti, quos dulcissimo lacte nutristi, quos solidō cibo pausti, omnes isti congregati sunt, venerunt tibi, venerunt orationibus, venerunt votis, venerunt obsecrationibus, vt pīj suscipiant, vt in humeros suos gaudentes imponant, vt ad Dominicum gregem lapsum pastorem reducant, vt vnamimes gratias altissimo referant, vt pījssima voce decantent: Pater noster perierat, & inuentus est, mortuus fuerat & reuixit.

## CAPVT V N D E C I M V M.

*Pœnitentiarij summorum Pontificum, & a sacris Confessionibus Serenissimorum Principum & Regum Poloniae, Fratres ex Provincia Poloniæ.*



A N C T A quoque penetralia sacræ exomologesis vt adeamus ad quæ semper non nisi summos integerrimosq; viros Ecclesia admittebat, in ijs non paucos ex prouincia Poloniæ doctissimosq; Patres reperiemus. Qui supremo hoc clauium Pœnitentia Magistratu sempiterna cum laude functi sunt: Ex ijs quam plurimis horum memoria ad nos manauit quorum indiculum aspice. Et Romanæ aulæ in primis.

F. Martinus Polonus V.I. clarissimus Doctor Nicolai tertij Pont. Max. pœnitentiarius 1278.

F. Petrus postea Episcopus Caminen sis Nicolai Quarti & Bonifacij Octauii pœnit. 1294.

F. Nicolaus Afri, postea Episcopus Culmensis Ioannis XXII. Pontif. Max. pœnitentiarius.

F. Petrus

Ierem. 17.  
3. Reg. 3.

I/2. 49.

Luc. 17.

Luc. 17.

F. Petrus de Colomæis, postea Episcopus Plocens. eiusdem Ioannis xxij. M. f. antiqu.  
Pœnitentiarius. expedit Prost.  
Polon in fol.

F. Petrus Magister Cracouensis, Clementis vj. Pont. pœnit.

F. Venceslaus Magister Vratislauensis eiusdem Clementis & Innocen-  
tij vj. Pontif. Max. pœnit.

F. Paulus Mag. l'osmaniensis Gregorij xj. pœnit.

F. Ioannes Mag. Cracouensis Gregorij xj. pœnit.

F. Petrus Commissa Mag. Ponifacij Noni Pont. Max. pœnit.

B. Conradus de Grossis pœnitentiarius Martini v. Pont. Max. 1426.

Extant litterarum Ioannis Bregen. prouincialis Polonia ad Gregorii  
pontificem Max. eius nominis xj. in libro Expeditionum officij eiusdem  
exarata exemplaria quibus respondens sibi a Greg. xj. datis, super trans-  
mittendis fratribus, ad officium pœnitentiarie Romanæ, pollicetur quam  
primum pro occasione temporum, non paucos a se, & a suis successoribus  
prouincialibus fore in diem submittendos, extat & formula aliarum lit-  
terarum iuxta, quam iure præsentandi fratres ad pœnitentiarie maioris  
officium se gaudere, toties & tantis submissis fratribus demonstrabant.  
Quinam postea eo officio functi fuerint, ad meam notitiam nondum  
peruenit.

Nostro quoque tempore ad absoluendos hæreticos ( quæ potestas ab-  
soluendi penes summos Präfules semper fuit ) a Gregorio xij. Sixto V.  
Clemente viij. pontif. Max. delecti pœnitentiarij.

F. Melchior Magister      } obiit.

F. Michael Magister      } †

F. Nicolaus Magister      } Mosticensis.

F. Vitus Sep. Magister      } †

F. Melchior Varacensis Magister.

F. Bartholomæus Præmisliensis, Mag. Catedralis Ecclesiæ Cracouensis  
disertissimus Ecclesiastes.

F. Felix Siradiensis Magister.

F. Seuerinus ex hebræo Christianus & S. Theog. magist. in hæreticis con-  
fundendis acerrimus.

F. Hyacinthus Suscius magister.

F. Seuerinus Tarnouius magist.

F. Stanislaus Brestensis mag. †

F. Martinus Nepelscius mag.

Præcipue vero F. Albertus Secouius mag. prouincialis, qui auctoritate  
a Sanctissimo D. N. Papa Clemente Octavo, sibi hac in parte commissa, in  
maioriibus quidem plures, in minoribus verò Conuentibus unum pœni-  
tentiarium ad excipiendas confessiones eorum qui hæresim eiurarunt,  
exponere potest.

Principibus vero & Regibus Poloniae, hi fuere a sacris Confessionibus.

M. s. antiqu. et  
nota Martyn-  
eolog.

B. Vitus Episcopus Lituanorum primi Boleslai pudici.  
F. Paulus, Premslai Ducis maioris Poloniae qui postmodum Rex Polo-  
niae in auguratus est.

F. Aegidius magister Lesci Nigri qui in Ecclesia Cracouensi sanctissi-  
mae Trinitatis sepultus quiescit.

F. Simon magister Henrici probi.  
Miechou. lib.  
3. cap. 32.

F. Helias Ladislai Loctici de quo hac Miechouius. Deficientibus viri-  
bus Ladislaus coram F. Helia ordinis Prædicatorum, doctrina perspicuo  
confessione facta, singulari auctoritate Apostolica pro mortis articulo ei  
concessa absolutus est, Sacramentoq; Ecclesiæ procuratus.

F. Petrus, qui post ex prouinciali Polonia Cazimiri magni qui & zodus  
Episcopus Plocensis dictus fuit, & a quibusdam

F. Przeslaus magister Cracouensis. tertius.  
F. Ioannes Opatouicensis, dictus Episcopellus Ladislai Iagellonis Re-  
g. F. Nicolaus Vezyk magister gis.

F. Nicolaus de Pnieuy magist. Ladislai Poloniae & Hungariae Regis, qui  
ad Varnam.

F. Stephanus mag. Cazimiri Quarti, qui & tertio vocatur a multis.

F. Ioannes mag. eiusdem Cazimiri.

F. Gregorius postea Episcopus Vladislauiensis. Ioannis Al-

F. Albertus de Secinie Innocentij Octavi Commissarius Sberti Regis.

F. Marianus Friderici filij Regis Cazimiri Cardinalis, Archiepiscopi  
Gnesnensis, & Cracouensis Episcopi.

F. Petrus Sochaczouensis Alexandri Regis.

F. Adrianus magister

F. Andreas de Parczouu magister Sigismundi primi Regis.

F. Vitus Albanus magist. De quo in Panegirico Sigismundi primi, sic  
In orat. fune Orichouius. Tanta, inquit, animideuotione erat Sigismundus, vt etiam  
bri Sigism. l. animam ipsam agens hunc istum Vitum Monachum, de Dominici fami-  
lia, sacrificantem diligenter audiret, ad singula verba passionis Christi Dei  
nostrri suspirando, ingemiscendo, ac flebiliter precando, quo Deus ipse  
peccatorum ipsius immemor beneficio autem Christi in illum, & in om-  
nes memor, clemens ac propitius, illum ad illas beatorum sedes reciperet,  
ad quas Iesus Christus Dominus ac Deus noster ante illum praecesperat.

F. Hieronymus Cyranus magister

F. Melchior Mosticenf. magister Sigismundi Augusti Regis.  
F. Leonardus Bacc. S. Theol.

## CAP V T D V O D E C I M V M.

*Viri quidam insigniores superfites ex Prouincia Poloniae ordinis  
Prædicatorum.*

**D**ECESSORUM breuiter delibatis laudibus, præstaret quoque & viuentium commemorare merita; Neque enim exoleuisse putandum est illud Ecclesiæ ad D. Dominicum ex vate, prolatum oraculum. Spiritus meus qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo & de ore seminis tui, a modo dicit Dominus, & vsque in sempiternum. Protulit & nostra ætate vitis hæc fecunda viros, disciplinarum varietatē, & eloquentiæ Regnum adeptos. At magis præstat audire Syracidam. Ante mortem neminem laudaueris. Posteriorum igitur erit referre Alberti Secouij, Seuerini dicti Hebræi, Bartholomæi Præmislien. Nicolai Mosticensis, Hyacinthi Suscij, Martini Nepelscij, Seuerini Tarnouij S. Theologiæ magistrorum, summam grauitatem, doctrinæ excellentiam, acrimoniam eloquentiæ; eosque prædicare. Ob multos hæreticorum ad gremium Ecclesiæ reduces, obq; disputationes acutas, conciones viuaces, & scripta posteritati commendatae, yniuersę Polonię clarissimos. Aliorum erit in Antonio Grodicio, Gregorio Cunecio, Andrea Mislisouio, Victorino Cotulino, Ioanne Euang. Præmislien. Ignatio Kounacro, Martino Posnaniensis, Chrisostomo Robcicensi, Adamo Zaremba, Erasmo Coniuissouio, Alberto Secouio iuniore S. Theol. Baccalaureis admirari erudita pectora, quibus nulla pars sapientiæ obscura. Succendentium erit percensere labores & scrutari doctrinam Gregorij Samboriensis, Laurentij Posnaniensis, Melchioris Mlodauij, Hyacinthi Posnaniensis, & alterius Krelczouij tertijque Vilcouij, Gasparis Varatij, Valeriani Lituanidis, Dominicici Bochnensis, Bartholomæi Turscij, Ioannis Pauli Slauogorscij, Viti Sandecensis, Gabrielis Vidauij, Stanislai Grothi, Bernardi Iancouij, Blasij Pulchricampiani, Camilli Iasinij, Andreæ Sandomiriensis, Thomæ Secouij, Thomæ Rozanij, Valentini Brestensi, Ignatij Felkel, Bernardi Pegasij, & eius qui felicissimis naturę incrementis, summo studio, artibus dicendi perpolitus & instructus sine armis piam tyrannidem in animis hominum exercet. Fratris Fabiani Bircouij S. Theol. Lectoris. Nostrum erit altipotentem Deū ex demissio pectore flagrantissimis precibus fatigare, qui stant, ne præcipiti lapsu de statione decident, & qui adiustitiam erudiunt multos splendeat in perpetuas eternitates nec vñquam ignauie aut nequitia teterrimis sorribus imbuantur, & a maiorum splendore degenerent, fiantque nobilia portenta.

*Ex his nonnulli monumenta doctrinae sue perennitati consecrarunt aliqua quorum laurea ab alijs esto.*

F. Leonardus S. Theol. Bacc. Biblia Latina in Polonicum idioma primus transtulit.

F. Valerianus S. Th. Lector. Flores aureos in Logicam. Cracou. impress.

F. Seuerinus ex Hebræo Christianus S. T. Mag. Tabul. Genealogia Christi ad Sextum V. Pont. Max. Tabul. Summæ S. Thomæ Aquinatis ad Hieronymum Bernerium S. R. E. Cardinalem Aſculanum ex ordine Prædicatorum assumptum.

De vita & miraculis S. Hyacinthi pro cuius Canonizatione ultimam apponebat manum,

Liber 4. ad Sigismundum Tertium Regem Polonię, Suetięq;

Theatrum Concionatorum ad eundem Sereniss. Regem.

Super Monotesseron quatuor Euangeliistarum amplissima decem volumina, parat, & Typis committit ad Illustrissimum D. Nicolaum Comorouiū, Comité Arauiens. & Liptouien. Capitaneum Osciecciaen. &c.

F. Bartholomaeus Præmislien. mag. Premit postillas Polonico idiomate, super Euangelia totius anni, de Tempore, & de Sanctis.

Item Cōciones integras super ead. Euang. Latino sermone, quas coram Sereniss. Rege Sigismundo Tertio, totq; viris Illustrissimis in Cathedrali Cracouensi Ecclesia, dum Ecclesiasten agebat frequentes habuit. Dedit item libellū de Confraternitate nominis Dei ad Illustriss. D. Laurentium Goslicky Episcopum tunc Camenecen. nunc Posnauensem.

F. Nicolaus Mosticen. mag. Tabulam censurarum Ecclesiasticarum.

Elementa ad S. Confessiones bis excusa.

Institutionum Logicalium lib. 7.

Elementa ad vniuersam Aristoteleam speculatiuam philosophiam acutissima.

F. Melchior Mosticen. S. Th. mag. Epistolam dehortatoriam igneo spiritu plenam ad Bernardinum Ochinum.

F. Melchior Varacens. mag. Libellos duos Polonico idiomate de Confraternitatibus sanctissimi nominis Dei, & Rosarij.

F. Antonius Grodicius S. Theolog. Baccalau. lib. de vita & miraculis S. Hyacinthi Poloniae.

F. Camillus Samboriens. mag. reliquit nonnullos commentarios in D. Thomam & Aristotelem doctissimos.

F. Hyacinthus Suscius S. Theol. mag. & Regens studij generalis Cracoviensis. necnon Ecclesiastes in Ecclesia SS. Virginis Cracou. sermones quos in æde principe Cracouien. & alijs dixit, de Tempore, & de Sanctis Latine.

Item postillas Polonico idiomate super Euangelia totius anni.

Apologiam pro sanctissimo Eucharistiæ Sacramento contra quendam Calvinianum.

Nos

Nos etiam præcoci calamo videlicet, nondum vigesimum octauum tūc  
prætergressi annum extrusimus Thesaurum laudum sanctissimæ Dei-  
paræ super Canticum Salve Reginæ, 40. Conc. ad sanctissimum D.N. Pa-  
pam Clementem Octauum, cui hanc Ferrariæ obtulimus.

Sertum gloriæ S. Hyacinthi Poloniæ ad Illustrissimum Alexandrum Pe-  
rettum S.R.E. Cardinalem Regni Poloniae protectorem, quod eidem Fer-  
rariæ dicauiimus.

Flores aureos super Euangelia totius anni trinas, Conciones super sin-  
gula ad Illustrissimum Bernardum Macieouium S. R. E. Cardinalem,  
Episcopum Cracoviensem.

Rosarium B. Virginis lib. 4. Polonicæ, ad Illustrissimum D. Nicolaum  
Comorouium, Comitem Aracuens. & Liptouiens. Idem auctum & excu-  
sum ad Serenissimam Dominam Constantiam Austriacam, Reginam Po-  
loniæ & Suetiæ, &c. anno 1606.

Trilogium B. Virginis pro singulis festiuitatibus ipsius tres Conciones.

Rosarium seu ex recita pietatis Christianæ. Sodalitatis Rosarij, ad Se-  
reniss. Principem Ladislauum, Sigismundum, Sigismundi Tertij Poloniæ  
& Suetiæ Regis filium.

Thaumaturgus Polonus, seu de vita & miraculis S. Hyacinthi.

### C A P V T   X I I I .

#### *Res insigniores in Conventu Cracoviensi Sanctissime Trinitatis.*

VB primum vrbis Cracoviensis ingressum illico se offert Ec-  
clesia illa amplissima Sanctissimæ Trinitatis Matrix & origo  
cenobiorum prouincie Poloniæ. Cuius limine calcato, vide  
& venerare antiquitatem eius maiestate & uenustate decen-  
ti illustrem. Altaria & iconas auro fulgentes non vulgari ar-  
tificio factas, & depictas. A parte lœua ante gradus altissimi illius Sacelli  
in capella Sanctæ Catharinæ Senen. humi procumbens, exosculare sepul-  
turæ virginis illius odorifere castissimæ fororis Beatæ ad caput cuiusdam  
matronæ ex Illustrissima Tenciniorum familia locatam. Neque mihi tran-  
seas Sacellum S. Vincentij sepultura Illustrissimæ illius Barbaræ Dambi-  
niæ Castellanæ Cracoviensis matris fratrum nostrorum pientissimæ, insi-  
gne, sed paululum subsistens, dico illius manibus placidum vale. Hinc  
progressus inuisit facillum familiæ Illustrissimorum Ligezorum. Quicicit  
illic Ioannes Ligza Palatinus Lanciciensis, Prominicensis prædiolo con-  
uentui, pro peregni tempore sacrificio missæ recitando, relictio. Quicicit  
& Przeslaus Niueiarouius, nostris temporibus benefactorum facile prin-  
ceps. Nullus eum ex fratribus ea de re petiit, nullus aut blanditijs aut ser-  
uili adulacione que generosos animos infringit, demerebatur, sponte sua

Holocaustum obtulit Deo , ex omnibus fortunis suis , quas ex Dei gratia & maiorum suorum beneficio habuit in Pedemontio honestissimas. Ipse Petijt a patribus , vt dotem pro Ecclesia Sanctissimæ Trinitatis hanc vellat accipere: illis cunctantibus , & comperendinantibus , molestior fuit tandem sper , donec ad acta publica castrenia secum iretur a fratribus . Apud quæ cum maxima animi exultatione libentissime omnibus suis facultatibus renunciauit. Non multo post vita functus , e pago Iodlouicensi succolantibus fratribus 1599. quasi unus ex his qui in religionem iurauerunt , sepultus est . Dicto igitur munificentissimo nostro benefactori . Placidè quiescas vir Illustris & munificentia isthac tua singulari in fratres grati animi memores præstantissimè . Inde egressus , priusquam chori intima penetrabis , occurret tuis oculis Sanctissimum Rosarij oratorium olim trium Regum facillum propter trium beatorum illorum fratrum frequenti populorum concursu celebre , repositorum . siue etiam propter Iconam Deiparæ Virginis ad instar S. Mariae Maioris Romanæ , venusto penicillo effigiatam , proque archiconfraternitate Sanctissimi Rosarij . (cuius sodales non pauci numero suas illie diacesim exoluunt de Beatissima Virgine preces . ) a Sanctissimo D. N. fel. record. Papa Clemente octauo . cum Indulgentijs sacramentum miraculisque ingentibus illustrem . Indices tabellas istas argenteas & aureas Diuæ Virginis imagini appensas intuere , eiq; angelicum illud aue recedens persolue . Penetralia chori ingressus in hoc medio mausoleo requiescit B. Iuo. fundator olim Ecclesiae Cracoviensis Ecclesiæ Præful. quem Martinus provincialis cum Vincentio Kielcensi. a Mutina translatum , suis fratrumque oculis perpetuo obiectum benefactorem hic esse voluerunt . Ne impurus tange , sed adora , libri enim isti grandiores quos hic vides superpositos , una cum vestibus fratrum quas hic projectas conspicis beatus iste , virtute occulta de intra manante quandoque in terram reiecit . At nescio , quomodo nobis chorum introeuntibus clapsæ sunt due illæ sepulturæ insignes ; altera quæ ad latus altaris Sanctæ Deiparæ , illa quæna fusilis Philippi Calimechii Florentini ex cuius ore Ladislaus Poloniæ & Hungariæ Rex pendebat , cuiusque consilijs sua facta moderabatur . Altera Illustris. Myscouiorum Marchionum , nunc nunc magnificenter & fere regio sumptu. surgens facillum . Resurrectionis illuc diem præstolatur , Illustriss. Petrus Myscouius presul Cracoviensis . duos inter nepotes Petrum videlicet Palatinum Rauensem , & Ioannem Castellaneum Zirnouensem sepultus . Adchorum pone hoc S. Magdalena auratum altare regressus a laeva parte , ecce te salutat Ioannes Zaborowius presul Chelmensis , cum pientissima illa , lectissimaque matre conuentus Catherina Bialuszina de Melstyn , quæ censu perpetuo chenodijs saturij , testudine choro minori indueta , aliisque innumeris beneficiis suam erga S. Hiacynthum testamatam esse voluit animi promptitudinem . Sub hac signatu pone sacrarium lapide presla quiescit . Salutat & penes idem

sacrarium.

ſacrarium Lechus Niger Princeps Poloniæ, vna cum Serenissima Eufrosina  
 Duce Osuiecimensi, retro hoc celſum preſbyterium torque Illuſtrissimis  
 Tecinijs quorum hęc exigua mediaſtina ara eſt. & cū Ecclesiæ Cracouien.  
 Coepiscopus. F. Dominico, Paulo, Iacobo, Mariano, quibus aeternam re-  
 quiem precare. Tabernaculum hoc argenteum deauratum, geſtatorium  
 diuinissimi Sacramenti quinquaginta argenti pondo ex celſum, opera ſin-  
 gulari, fere in tota Europa præcipuum, patrimonium, eſt conflatum Iaco-  
 bi Bydgosezienſis prouincialis Poloniæ. Particula hęc viuifica crucis au-  
 ro incluſa, donarium eſt Illuſtrissimorum Comitum Tenciniorum, ſpina  
 hęc coronæ Dominicæ quam argento chryſalloque teatam adoras, mu-  
 nus eſt illuſtris Bialuſinæ, muſicum hoc maius organum in tota Polonia  
 celeberrimum opus eſt F. Dominici Malochouij ſuffraganei Cracouenſis.  
 Non tibi cætera pando, ad angipor tum pergo. Crucifixi Christi hęc reli-  
 giosiflma imago verbalis eſt, familiarisque olim Stanislao Kokozka, qui  
 ad eius latus dextrum procumbit. Hęc angipor tus pene non examinauit  
 integerrimum illum F. Felicem Syradiensem prouincialem ſpectris miri-  
 ficis Sanctorum. Quo enim tempore fratres (non ita pridem hoc ſibi atti-  
 giffe memorabat ille ſenex) recreationi vacabant, ille ac alter Iob pro filiis  
 vota ſolutebat, hic prioris officio defungēs, & illico hęc angipor tus lumine  
 coruſce tota ſplendet. Apparet Sanctus quidam, pedum, minabundus ge-  
 stans, huic alij duo, alter religioni habitu, alter pontificio ornatu adgeni-  
 culantes, & quaſi veniam pro quopiam poſtulantes, Rigescit felix, abſque  
 inſequenti bus extemplo anhelus ſe proripit ad reſectorium. Quo illapsus,  
 repentoque perterritus, fit extra ſe. Dum ad ſe redit viſum fratribus  
 narrat, eosque modetiæ, religioſique officij ſeucre monet. Iuonis, Hiacyn-  
 thi, & Viti Beati illi manes putabantur eſſe. quorum ea eſt prouidentia de  
 hoc cœnobio, fere perennis, nemine ut patiantur ſecreto facinoris quippiā  
 patrante m, impune eſſe. Illico indicijs in opinis produnt Irregularem  
 quempiam, uique improbis inuisa & inuifibili e conuentu protrudunt  
 malè in probrum religionis olentem. Sed & ſæculares ſceleribus aliquibus  
 obnoxios, ſepe ſapiue celeſtibus viſis, vel dehortatur a flagitijs, vel eis ſi  
 non relipſcunt, omnino peñas portendit. Argumento eſſe potest Paulus  
 ille Cracouenſis antistes, ob ſcelera notus apud Cromerum antiquitatem  
 que. Nam cum Cracouia (inquit Cromerus) apud Dominicanos fratres  
 commoraretur, morabatur autem ferè affiduo, quadam die cœlitus incre-  
 pitus eſſe fertur, huiusmodi verbiſ. Vx tibi Paule Episcope. Melius tecum  
 actum eſſet, ſi natus non fuisses. Atque hanc vocem a ſeptuaginta homi-  
 nibus tunc eum circumstantibus auditam eſſe. Monachus etiā quipiam  
 per quietem vidilſe diecit, lupum erectis prioribus pedibus contra eum  
 humana voce exclamantem. Vx tibi Paule Episcope quoniam capiſti &  
 occidiſti. Hoc quoque cum ille renunciante Monacho accessiſſet, expau-  
 factus fertur ſcelera ſua maiorem in modum deplorasse. Cadobium hoc  
 -ri. Angu-

Crom. lib. 2.

singularem fauorem & influentem Numinis , rebus in aduersis semper sentire obseruatum est a P. illo Felice magistro Priore, atque alijs curiosis. Eius tempore pauperie tanta quandoque premebatur Conuentus, vt in penuaria camera vix soli parietes consisterent, nec quidquam esset, quod fratribus faine squalentibus, preter panem marcidum apponeretur. Cultui diuino(monebat ille) iugiter vacare. Sic nos visitauit, sicut eū colimus, vel colemus. Iubet lignare nullam Refectorij, singulis addubitibus de prouidentia Diuina . Ecce subito mensis stratus, sed vacuis cibaria a benefactoribus apponuntur, & cellæ penuariæ omni re vñuaria, efflunt. Sed & in afflictis illis temporibus quibus Lutherus pestilens virus in Sarmatiam efflauerat, vnicum fuit, quod viros sanctissimos & eruditione præstantissimos, tanquam strenuos milites ex equo Troiano , illi obiecit, & mucrones aduersariorum vmbone verbi Dei fortissimè retudit. Dulces & honoratae sanctorum exuuiae, quibus hęc Angiportus scatet, sanctis & Limonis, Benedicti, Boguslai, Hieronymi, Ioannis, Zegocij, Floriani, Vincen-  
tij Ludolphi, & aliorum innumerabilium hic a nostris aspectibus reconditæ id meruerunt. Effectis & vbertas Academie & soli Cracouensis, que  
vt elegantia morum, sic & splendore litterarum , facile ceteras anteit re-  
giones Sarmatiæ & Ciuitates. In alijs prouincijs vix simile elogium pos-  
set sine inuidia proferri, in Polonia certè absq; inuidia omnes Ciuitates  
submissis fascibus Academie & Cracouie deferunt imperium. Quippè exi-  
stirrant absque ea tenebras ignorantie & squalorem barbarie non diffi-  
cile omnia occupaturum esse. Itaque si aliquid elegantioris litteraturæ  
iu aliquo conspicunt Cracouiae illum vulgo studiose aiunt . nec quem-  
quam solidam aliquam sapientiam habere pertendunt , qui nunquam  
Academiam Cracouensem viderit. Scilicet & Polonia habet suam Lute-  
tiæ; & Salmanticam & Athenas , vnicam Academiam Cracouensem .  
Fratres igitur hi, quorum centenariam cohortem Religiosam vides. redon-  
tent virtutem & bonitatem illius soli, & non difficulter, in varias inge-  
niorum & eruditiois fruges exuberant, quas deinde in ceteras Regni pla-  
gas effundunt . Quod verò palmarium puto esse, sapientiam sine inuidia  
communicat, & vt de Bononia dicitur, illam esse Matrem studiorum, sic  
de Cracouia dici solet . Pauperum esse Matrem . Vix aliquod oppidum  
in vniuerso Regno inuenitur quod Alumnum suum in ea non nutriat,  
quem ea spe in urbem misit , vt bonis litteris & moribus instructus . suis  
oppidanis honori & vtilitati esse possit. Aemulatur communem patriæ  
sensum, & hoc cœnobium, & fratres ex omnibus Conuentibus, in quibus  
aliqua bona indeoles renidet , libentissimè & liberalissimè in sinu suo fo-  
uet. Hoc est seminarium verbi Dei præconum, virorum denique eruditissi-  
morum, quos orbis Sarmaticus demiratur. Sed & Bononię filiam, stu-  
dium, hoc Athenarum generale nos vulgo vocamus suspicere . Amarunt  
semper Cœmbitę hi bonas litteras, præstantissimus quisque ex prouincia,

Regen-

Regentis, Baccalaurei, Magister studentium, cursoris, Biblici & artium olim, nunc Lectoris moralis & philosophie hic pensa explicabat. Nomina eorum in Actis, fama in admiratione omnium Bibliothecam quoque in uastissimo dormitorij corpore perlustra. Minerue domicilium esse putabis tanta librorum lectionis copia referta est. Retulit in eam non contemnendos neque paucos, is qui eam auxit pater Melchior Mosticensis magister, retulerunt & alii, offa ex proprijs fauibus sibi erepta, posse, Reuerendus qui nunc prouincie praefest Albertus Sęcouius S.Th. Magist. selectissimos Baronij aliosque insignes tomos. F Fabianus Bircouius Sac. Theol. Lector, & Ecclesiastes, F. Nicolaus Mosticensis & frater Hyacinthus Suscius magistri, & quadam alijs S.Th. mag. quadraginta supra centum Codices in eam retulit. Tantopere illos delectabat pœnu hoc sapientie, varia suppelletili libraria ornatissimum videre. Ab Ecclesia recedens a spice Stanislai Zauacij Pici cognomine, philosophiac Medicinę sua etate facilę Principis, viri de nostro ordine meritissimi, parietenus fixum epitaphium & in vestibulo facellum amoris erga Ecclesiam hanc argumentum elegantissimum triginta & amplius annos, fratres afflitos egrorii frequentibus consilio medico iuuabat. Si quando honor ordinis nostri ageretur, liberrima dictione aduersarios percellebat. Censemque perpetuum pro votiuo sacro recitando semel in hebdomade Conuentui reliquit.

Domus S.Aegidij sub colle arcis Cracouiensis sita, donarium est, cum emolumentis annexis generosi D.Felicis Czersky iudicis Cracouiensis, & Illustrissimorum Comitum Tenciniorū ex approbatione Gregorij XIII. Pontificis Maximi, quotidiano sacro deuota.

## C A P V T X I I I I .

*Itinerarium seu Scitu & visu præclariora in Conuentibus alijs prouinciae  
Polonia Ordinis Prædicatorum.*



ONVENTV Cracouiensi lustrato, si tecupido viscendi alios Conuentus prouinciae intendit Lublinensem conuentum S.Stanislai accede. Ecclesia illa ornatissima, præter alias insignes notas, sancti sanctorum Iesu Christi domini nostri & vnici redemptoris salutiferum, & viuificantum Crucis lignum haber. Afferit autor Archæorum catedralis Cracouiensis Ecclesię tam nobile & magnum frustum illius sanctæ arboris, in templo. S.Stanislai (hoc enim nomine Ecclesia nostra nuncupatur) existere, vt nec Romę, nec Hierosolymis, nec Constantinopolis, nec Parisijs, nec Aquisgranij, nec vspiam terrarum, simile in magnitudine possit hoc tempore inueniri. Multorum languores fanatos esse de hoc ligno per fidem admoto compertissimum

pertissimum est. Incendium etiam quod non ita pridem Lublinensis suburbia deuastabat circumgestatione sancti ligni extinctum cum vaſariantibus flammis obiectum esset narrant illi qui viderunt. Cenobium hoc & Ecclesię omnia decora in cineres versa in eam quam nunc vides speciosissimam formam a cineribus & ruderibus ipsis suscitauit magnis laboribus F. Albertus Secouius S. Th. Mag. ex eleemosinis piorum. Bibliotecam libris selectissimis instruxit R. P. Matthias Bechius Praepositus Canonicus Sandomiriensis. Hinc discedens Seinensem S. Hiacynthi in Lituania vitae. Noua est illa plantago familia Grozinsiorum. Placet originem eius breuiter perstringere Illustris & Magnificus Georgius Grozinscius, a puero pro more gentis bellis innutritus moribus candidissimus, sed ut militia fert, non adeo in modestiam fidei Catholicę cōpositus erat. Is cum ad prouectam etatem venire cōpisset, de mutatione vitae serio cogitare cōpedit. Sacerdotes querere, cum illis tanquam Dei ministris de officijs vitae Christianae verba facere, omnia denique agere, quasi iam mors prae foribus instaret, & aurem pulsaret, Vasa collige Grozini, iam venio referebat ipse se virum quandam vidisse habitu religionis Prædicatorię indutum, augustiore, forma quam homines cateri esse solent, qui iuberet mandaretque Grozini Vilnam abi & Sancti Spiritus aedem quærere, illinc summe tales Sacerdotes, qualem me vides, hoc dicto disparuit. Venit ille Vilnam, fratres Prædicatores sibi nunquam visos, in æde Spiritus Sancti querit, inuenit, ad acta publica tribunalis magni Ducatus Lituanię, omnes fortunas suas illis cōsignat, in holocaustum & odorem suavitatis Domino Deo suo. In squalidis illis locis, & barbarie antiqua adhuc horrescentibus nihil melius aut salubrius excogitari poterat, quam ut semine verbi Dei consererentur illae gentes, quae ob inopiam Sacerdotum, adhuc in tenebris ignorantiae sunt, & vix de Ecclesia audierunt. Seinam accolae vocant oppidum illud, quod fratribus dedit Grozinscius in lignea pronunt S. Georgij ēde post modum sepultus.

Vilnensis quoque S. Spiritus ex Ecclesię ornatu & cultu Illustri; Rosarij præcipua in illa ciuitate deuotione & ex numerosissimo catu eiusdem sodalium splendore: argenteis & aureis ad altaris & sacerdotum fulgorem & vsum clenodijs & valis musico organo ingentis magnitudinis atque artificij elegantissimi, Bibliotheca innumeris libris instructa, celebratur.

Varsauiensis etiam S. Hiacynthi nunc nunc consurgens nouella plantatio prima sub inuocatione S. Hiacynthi tutelaris in Regno ex munific. piorum Ecclesia. Icona Beatissime Virginis ad instar S. Marię Maioris de Vrbe, maximę deuotionis & venustatis: Deinde altera S. Hiacynthi multis miraculis clara (donarium hęc est Gregorij Badouij cuius Varsauiensis.) Inter quae miracula innumerabilia nuper naufragio obrutus quidam luci restitutus est. Puerulus quoque sartoris cuiusdam febre extinctus ad vitam reuocatus est, yterque anno, 1605. Tabernaculo quoque argenteo ingentis

ingentis ponderis, vulgo dicto Monstrantia primo in prouincia post Cra-  
couensem & Cœfraternitatis sanctissimi Rosarij præcipuo ornatu, frequen-  
tiaque innumerabili Nobilium & Ciuium non sine amulatione insignis.  
Chrisosto.nus Szumanouskij vir Magnificus, cum videret pios conatus  
fratrum, domicilium hoc in loco Comitijs totius Regni nobilissimo eri-  
gentium. Zelo pietatis incessus, Pagum suum sirocum Ecclesiæ & Con-  
uentui perpetuo inscripsit donauitq; ablegatis omnibus suis consanguineis  
successoribus. Domine Deus æterne retributor redde pro tempora-  
nea hæreditate perennem, viro de isto Conuentu tuo meritissimo.

Varacensis autem S. Stanislai Conuentus sepultura serenissimorū Du-  
cum Masouiae celebris habetur.

Plocensis sancti Dominici. Is cuius fratres olim iustitiae, veritatis, Ecclæ-  
siaſticeque libertatis intrepidi assertores, suo licet fundatori, Conrado Duci M̄souiorum sese trenuē, pro nece B. Ioannis Czaplæ Vladislauensis & Plocensis scolastici. Ducalis Cancellarij opposuerunt, crimenque eius quia par est seueritate eleuarunt, scilicet non panibus beneficijsque  
receptis guttur veritatis tubam preſocatum habentes. Lauiffima conie-  
cta Conradus, Ioannem Canonicum quasi rerum parricidij coniura-  
tionisque caput, inque vincula coniicit, atque subiectum quæſtionibus in  
patibulum agit. Eius cadauer Dominicani fratres (quos Plocum Con-  
radus ante annos aliquot condito eis Monasterio induxerat) de Cruce de-  
posuerunt, & vt Ioseph quondam Christi, sic isti Ioannis innocenter occisi funus Christiano ritu honorifice procurarunt. Agathia Conradi vxor, mariti furore suffragata, erutū ex monumento Ioannem, & in plau-  
stro duobus bobus contumeliae causa vectum, noua furca ad id, ex tempo-  
re ad eadem, atque monasterium Dominicanorum, ex aduerso Basilicę ere-  
cta, iterum appendi iussit. Nec tamen deterriti sunt fratres Dominicani  
qui iterum Martino Priore iubente id deponerent, atque maiori quā  
antea honore sepelirent. Putas quales se pro Concionibus in hoc scelus  
impium gerebant, qui nil Principum suorum fauorem veritatis funus sic fre-  
quenter curabant? Eorum Concionibus exitus Petrus Arch. episcopus  
Plocensi Diœcesi sacris interdixit Louicienseque satis amplissimum ditissi-  
mumque territorium, cum non ignobili oppido, (primaria nunc sedes  
est Archiepiscoporum Gnesnensium) suę ditioni ex prodiga Conradi sa-  
tisfactione adiunxit. Cœnobium hoc tabernaculo sanctissimi sacramen-  
ti gestatorio. Monstrantium vulgus vocant preclaro artificio ex fusili  
argento magnificè facto, deinde sepultura aliquot Ducum Masouiae, pre-  
sertim verò Conradi fundatoris in ore est omnium Illustrissimus D. Lau-  
rentius Goslicius Posnanensis Episcopus Provinciæ pater defensor & li-  
bertatis religiosorum vindex Bibliothecam suam, multo auro æstimatam  
Conuentus istius esse propriam voluit.

Plocensis sanctissimæ Trinitatis domus, in qua Alexandra Masouiae

Croner. li. 8.  
Io. Blugoff.



Ducissa eius restauratrix quieuit, anno Domini 1434.

Torunensis S. Nicolai Clenodijs pretiosis ex argento puro ingenti pondere & arte non vulgari factis effulget, donaria sunt pie tatis Christianæ præfertim vero Cruciferorum Teutonicorum militum.

Gedenensis sancti Nicolai, nemini in Sarmatia, propter multitudinem olim fratrum (plusquam centum alebat, ex censu perpetuo, viritim ex omnibus & singulis tam publicis quam priuatis domibus Gedanensem folio) ædificiorumq; magnificentiam secunda. Sunt qui asserant, mare Baltheum olim Culmensem Ciuitatem emporium insigne tunc Aquilonis totius alluens insulam perenni mutatione exeruisse eam quæ nunc Gedanensis Ciuitatis vastissimæ propter recessum maris longissimum latifundium est. Ea sub annum 1227. a piscatoribus tantum habitata a Suentopeleo Duce Pomeraniae adscripta est fratribus Prædicatoribus. Decursu temporis recurrente a Culma mari Baltheo, infraq; hos qui nunc sunt, terminos se concludente area quæ prius inclusa fuit frequens esse accolis cepit, tum propter fratrum Religiosam conuersationem, cultumq; diuinum auctum, tum propter commercia mercioniorum ex transmarinis Regnis vecta ad ea, & hinc euecta. Non grauatum fratres Prædictatores concessere locum sibi ad scriptum aduenis modo ex domibus publicis priuatisque in solo Cœnobij excitatis, censem vnuquisque per suas familias Conuentui penderent. Pari pietate, qua iure emphyeutico concessa est Gedanensisibus area, ex eadem a singulis ferijs sextis, vnius vocabunt Scotti soluebatur census, donec infelici anno 1526. hæresi Lutherana Ciues imbuerentur. Peplerunt tunc a Conuentu fratres suos beneficos, per summam iniuriam bachantes heretici Ciues. Nihil nisi vitam secum efferentibus miseris fratribus, in omnia phanatici desauerunt. Suppellectilem copiosam sacrarij argentea & aurea vasa, clenodia summi pretij, sacra paramenta ex senatus impij consulto quin & priuilegia, munimenta Monasterij sacrilegis manibus ablata in commune pretorij erariū retulerunt. eoque censu annuo fratres non multo post a Sigismundo Primo Rege Polonię Conuentui restitutos priuauerunt. Fratribus sua repetentibus semper animis irritabantur heretici Ciues, subinde occasiones aucupabantur, iterum eos statione ejiciendi. Prolata est anno 1564. quo peste grassante P. F. Daniel prior cum ceteris fratribus Conventus interierunt. Illicò Senatus iterum in Monasterium inuolat, illudque occupat, donec ad supplicationes patrum Melchioris Mosticensis, & Hieronymi Cirani per Illustres Regię Maiestatis Sigismundi Augusti Commissarios, Ioannem Kostka Castellatum Gedanensem, Georgium Ostrouicū, Vicecamerarium Margeburgensem, Gasparum Laski Abbatem Oliuensem. iussu edictoque Regio, egrè, sed non integrè fratribus restitueretur, anno Domini 1567. die 23. Augusti. Quo speciosior tertio, se illis obtulit occasio furendi in Cœnobium, eo magis vesana temulentia ferina se-  
uicia

uiciæ assumpta in Conuentum & fratres tumultuari sunt , anno 1576. quo tempore contra datam Regibus Poloniæ fidem Stephano Primo Re-  
gi, Regnoque vniuerso perfidi rebellarunt . Cum primum ad eos Nun-  
cius detulisset , quia Stephanus Rex ditionis Gedanensis Zulanam ferro  
igneque popularetur, extemplo stipendiarium militem suum in Conuen-  
tum truserunt . Quę licentia est militis mercenarij heresi pestifera in om-  
ne scelus instruēti ? malo suo edocti experti que sunt fratres, & inquilini  
Conuentus . Nam die 26. Septembris, furore perciti in Monasterium ir-  
ruentes fratres qui supererant alios percutiunt , alios in ergastulum vin-  
ctos coniiciunt , nemine prohibente omnia vſualia diripiunt . Nec con-  
tentis (sic scriptum posteritati reliquit Mosticensis) istis rebus, sed Ecclesiæ  
locum Deo dicatum cum rabie Scythica intrantes , spinam coronę Domi-  
nicę, insigne Clenodium prophanauerunt, imagines sacras deiecerunt, al-  
taria euerterunt, cæteram suppellecilem sacrarij, quę priori furori super-  
erat, Clenodia, sacras vestes , priuilegia Conuentus & omnem Ecclesię or-  
natum abstulerunt , inque vſus prophanos conuerterunt . Diuinissimo  
etiam Eucharistia sacramento infandi non pepercérunt, illud e pixide ar-  
gentea in terram projcientes, pedibus spurcissimis calcarunt, pars in Cō-  
uentu Bibliothecam refertissimam, vetustissimis, ijsque optimis auctori-  
bus vastarunt, librosq; partim dilacerauerunt, partim exusserunt . Neq;  
destiterunt, donec apertam diuini numinis vindictam oculis suis obiectam  
manifestè viderent . Quidam ad Crucifixi imaginem quę perstat adhuc in  
medio Ecclesię, admota scala ascendit, in securi & ascia demolitus eam,  
super trabem, cui stipes crucis inhærebat sistens, semel & secundo asciam  
vibrat, lignumque Crucis leuiter scindit . Tertiò eleuat manum, id tuncq;  
grauorem dare arbore nitebatur , & ecce vi, impetuque quodam inuisito,  
licet firmiter sese teneret, omnibus inspectatibus in terram proturbatur ,  
inque momento horę ceruicibus cruribusque fractis expirat, frustra eum  
ceteris iuuantibus, fugientemque ad inferos animam in exanimatae  
re querentibus . Molestè eam rebellionem furoremque ferebat Rex Ste-  
phanus, quamobrem cum ciuitate potitus esset, rebellesque hereticos sua  
seruitute compescuisse. Religioni Conuentum restituere, graui edicto  
præcepit . Restitutum est Monasterium fratribus, altero post anno, quo  
pulsi erant, cura P. F. Melchioris Mosticensis . Postliminio regressi fratres  
ad Conuentum omnia infesta repererunt, Ecclesiam deuastatam, imagi-  
nes sedtas, & semiustas, altaria euersa, fores omnes effractas, suppellecilem  
vniuersam sacrarij & domus directam, Ciues adhuc minas, cedetque spi-  
rantes, quo se alerent, quo tegerentur non inueniebant , Indoluit eorum  
vices Illustrissimus Antistes tunc Vladislauiensis Stanislaus ille Carno-  
uius, vidit & ouiculas suas Gedanenses heresi pestifera contaminatas, &  
de eis ad caulas Ecclesiæ reducendis cogitauit . In partem igitur curarum  
suarum, fratres S. Dominici, (qui soli Gedani ex Clero remanserunt resti-  
nū 21 tuti,)

tuit,) vocavit ut officium parochorum qui ab ouibus illa tempestate expulsi fuerant, suscipierent, instanter postulauit & voluit. Ne cum periculo vita ostiatim de quotidiano vietu emendicando essent solliciti, ex redditibus Episcopatus sui tunc Vladislaniensis censum (præbendam vulgo vocant) 500. circiter florenorum inscripsit, & cum zelo successores suos omnes adhortatus est, vt tam sancto instituto facerent satis, nisi omnino perire fidem Catholicam apud Gedanenses malint. Iudeaque manus, quam animas sanguine Iesu Christi redemptas magis deligeret.

*In vita Pij  
V. Part. li. 5.  
Cap. II.*

Labores quos fecerunt fratres prouinciae Poloniae in eadem Civitate, non fuerunt obscuri, exteris quoque nationibus. Ita de illis Gabutius Nouarrien. Interea, ait, ubique ferme gentium, Pij Quinti Pontificis opera, sancte religionis cultus renouabatur egregie. In primis vero Dantisci, quæ celeberrima Prussia Civitas est, maximisq; mercimoniorum commercijs, inter omnes Europeas urbes insignis. Erat in ea Civitate, Catholicæ veritatis lumen ita extinctum, vt omni Ecclesiastico ordine iam sublatum, nullum fieret sancte missæ sacrificium, nullæ sacræ Concessiones a Catholicis vñquā haberetur, omnia deniq; Lutherana peste, aliosq; pessimis depravatae religionis erroribus referta miserandum in modum interibant. Verum huius Pontificis ope, Dominicanæ familiæ fratribus templum, cenobiumque suum ibi restitutum est, quæ edificia & amplitudine, & operæ præclara, etiamnum extabant militum hospitio, ac præsidij exposita. Qua restitutione facta, plurimi concionatores egregij, alijque præterea eius ordinis Sacerdoties eo missi sunt. Qui sacris faciundis, tantoque illorum populorum concursu atque frequentia, quanta explicari vix potest, Concionibus habendis, eas gentes ad fidem Catholicam reduxerunt, Pontificis tum precum, tum pecuniarum (quas Carncouio Episcopo impuserat) subsidijs adiuti. Exinde qui eas regiones omnes ad illorum, quos ad sanitatem reductum iri spes erat, commoditatemo, ingentem Sacerdotum numerum, decreuit, cum potestate, illos, modo ad saniora redirent consilia, a crimine heresios absoluendi, ex quo æternæ salutis, admirabiles fructus sunt consecuti.

Syradiensis S. Stanislai olim vastatus a Cruciferis nunc operis Reuerendus P.F. Felicis Syradiensis Magistri & olim Provincialis, necnon R.P.F. Martini Nepelciij Magistri & prioris eiusdem restauratus. Narrat Miechowius, anno 1331. dum hi Cruciferi Regulares Irregulares Poloniam incursione præopina populararentur, Syradiam quoque ingressi cuncta abripiebant. Tunc Nicolaus prior in Monasterio Syradiensi ordinis Prædicatorum, prouolutis genibus Hermannum Commendatorem Elbingensem precatus est, cuius notitiam bonam, cum esset in Conventu Elbingensi contraxerat, vt a spolio & incendio Monasterij eorum abstineret. Qui superbè respödens in vulgari Prutenito, se non intelligere ait; Vnde cwnalijs in Monasterium irruit, & calices, Cruces, & ornamenta, fortunas

nas diuersorum hominum , illic cum bonis suis causa conseruationis fugientium abstulerunt . Monachos cappis , homines vero utrūque sexus indumentis usque ad extremam denudationem exerentes . Auctus est aliquibus censibus hic Conuentus , studio & labore , eiusdem R. P. F. Felicis Magistri Syradiensis , non ita pridem vigilantissimi Prouincialis . Trium Dudum Cuiavensium illuc esse memorantur sepulturæ .

Posnaniensis S. Dominici munificentia Illustrissimus & Reuerendiss. D.D. Ioannis Comitis a Rozdrazou . Episcopi Margaritensis & suffraganei Vladislauiensis (quos ille honores quoties ergo iam abdicavit) recreatus proque studio litterario , triumque lectorum prouisione censu annuo dotatus Icona D. Hiacynthi , apud quam miranda miraculorum opifex in dies , pro deuotione populi operatur , nec non Sanctissimi Rosarij cultu præcipuo insignis . Sub annum domini 1597. ferunt , varie preterfluentis vortice , mersum puerum prefocatumque , votis Diuo Hiacyntho nuncupatis , ad eius aram vitæ redditum esse . Ex eius quoque Ecclesiæ est illud Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in Ecclesia corporis Christi Posnaniensis , religiosa deuotione cultum . Sacram hostiam Iudaico ore excepereat mulier quedam Iudeis leui pretio vendiderat : hanc illi perfidi Theomachi , in proximam cellam vinariam inferunt , superque mensam exponunt , pugionibus cultris , & gladijs , pro scelus , punctum sodiunt . Emanat inde ex vulneribus preciosus viuificus crux . Iudei indicio sanguinis proditi , flammis exuruntur . Sacratæ autem Eucharistiæ celebris Ecclesia a Ladislao Rege pro Carmelitatis excitatur .

Vratislauensis S. Adalberti edificiorum magnitudine insignis conuentus B. Ceslai . B. Henrici , & B. Ioannis inquisitoris sepultura celebris .

Opauiensis Ducum Opauiensium repositoria monumenta haber .

Præmisliensis quoque Beatissimæ Virginis Ecclesia , religiosissima deuotione illius populi , mirum est , quam enixè colatur conuentus ille ignibus exustus , laboribus P.F. Antonij Grodicij . S. Th. Bacc. & aliorum de conuentu Cracouiensi patrum a fundamentis reædificatus est .

Samboriensis quoque opera eorundem fratrum e conuentu Cracouiensi sumptibus a benefactoribus præcipue vero ab Illustrissimo D. Georgio Mniszek Palatino Sandomiriensi per eosdem conquisitis consurgit eruditibus , vt & Ecclesia Luceorien sis , & Vlodimirien sis per alios fratres filios prouincię Poloniae . illa per P. F. Augustinum de conuento Lublinensi , haec per P. F. Gabrielem Zairesko de conuento Præmisliensi , qui & congregationis nouæ in Russia primus Vicarius generalis præfectus erat , ex prouincia Poloniae assumptus ad idem officium , & per P. F. Ludouicum de conuento Cracouiensi .

Miechouins  
& Crome-  
rus .

## C A P V T X V.

*Numerus fratrum & prælectionum in Conuentibus prouincia Poloniae.*

**D**ORRO si numerare pergis fratrum cętum qui in conuentibus prouincia Poloniae partim ex redditibus, partim ex diaria pietate populorum aluntur, hunc cum numero prælectionum coniice ex ista tabella.

|                                      | Frat. | Lect. | Frat.                            | Lect. |
|--------------------------------------|-------|-------|----------------------------------|-------|
| Cracouiensis Sanctissime             |       |       | Varacensis                       | 16 1  |
| Trinitatis.                          | 100   | 5     | Costensis                        | 16 1  |
| Pro Ecclesia & domo S.               |       |       | Bochnensis                       | 16 1  |
| Aegidij ex eis deliguntur            |       |       | Belzensis                        | 16 1  |
| Posnaniensis                         | 60    | 3     | Sochaczouensis                   | 16 1  |
| Lublinensis                          | 60    | 2     | Volodimiriensis                  | 12    |
| Vilnensis Sancti Spiritus            | 60    | 2     | Ratiboriensis                    | 12    |
| Plocensis S. Dominici                | 36    | 2     | Osuieciensis                     | 12    |
| Plocensis Sanctiss. Trinitatis domus | 2     |       | Lanciciensis                     | 12    |
| Sandomiriensis S. Iacobi extra muros | 36    | 1     | Smigrodensis                     | 12    |
| S. Marię Magdalenae                  |       |       | Snenensis                        | 10    |
| Domus ibidem                         | 4     |       | Culmensis                        | 10    |
| Varsauiensis S. Hiacynthi.           | 36    | 1     | Opauiensis                       | 10    |
| Przemisliensis Sanctiss. Virginis    | 30    | 1     | Opatouicensis                    | 10    |
| Petricouiensis Sancte Dorotheę       | 24    | 1     | Hrodlenensis                     | 10    |
| Louiciensis Sanctiss. Trinitatis     | 24    | 1     | Hrubiesouienfis locus            | 10    |
| Ianouienfis                          | 30    | 1     | Szredensis locus                 | 6     |
| Luceoriensis                         | 30    | 1     | Merecensis                       | 12    |
| Brestensis                           | 20    | 1     | Vuratislauienfis.                |       |
| Siradiensis                          | 30    | 1     | Opoliensis.                      |       |
| Samboriensis                         | 20    | 1     | Glogouienfis.                    |       |
| Toruncensis                          | 20    | 1     | Suidnicensis.                    |       |
|                                      |       |       | Dersouienfis Sanctiss. Virginis. |       |
|                                      |       |       | Colomiensis.                     |       |
|                                      |       |       | Subcamienfis.                    |       |
|                                      |       |       | Smotricensis.                    |       |
|                                      |       |       | Trebhoulenfis.                   |       |

## C A P V T X V I .

*Priuilegia quædam peculiaria vniuersæ Prouinciæ Poloniæ a  
sede Apostolica concessa .*

*Primum priuilegium pro celebratione Capitulorum prouincialium  
prouinciæ Poloniæ .*

*C L E M E N S P A P A S E P T I M V S .*

**I**LLECTI fili salutem & Apostolicam benedictionem . Cum dudum felicis recordationis Bonifacius Papa octauus predecessor noster , omnibus Christi fidelibus , vere pænitentibus , & confessis , qui quotiescumque & vbi cunque Capitulum prouinciale , per Prioris & Fratris vestri ordinis Prædicatorum celebraretur . Ecclesiam apud quam Capitulum ipsum pro tempore celebrari continget tempore celebrationis illius a primis vesperis diei , quo illud celebrari inboaretur , usque ad octo dies inclusuè immediate sequentes , deuotè visitarent , & ad Ecclesie conseruationem , ac fratrum , & priorum Prædicatorum substantiationem manus adiutrices porrigerent . Nec non prioribus & fratribus , qui huiusmodi capitulo interessent , illam indulgentiam & remissionem peccatorum , quam visitantes Ecclesiam B. Mariæ de Portiuncula alias de Angelis extra muros Assisianates primo & secundo diebus Augusti , quomolibet consequebantur , per suas litteras concesserit . Ac Præsidenti huiusmodi Capituli , qui pro tempore foret , ut quatuor fratres idoneos presbyteros dicti ordinis professores in confessores , qui confessiones quarumcunque personarum Ecclesiam predictam causa huiusmodi Indulgentie consequenda accendentium per ipsos octo dies duntaxat audire , & confessionibus ipsis diligenter auditis eidem personis pro commissis , nisi forsan talia forent , propter quæ sedes Apostolica esse merito consulenda , absolutionem impendere , & pænitentiam sicutarem iniungere valerent , eligere & deputare possint Diœcesani loci , & cuiusvis licentia alterius super eo minime requisita indulserit prout in eisdem litteris plenius continetur . Et sicut nobis exponi fecisti quatuor confessores ad confessiones Christi fidelium pro dicta Indulgentia consequenda confluentiam audiendas non suppetunt . Ac vos tempore celebrationis vestre Capituli Provincialis prouinciæ vestre Poloniæ , iuxta morem dicti ordinis , vnam solemnem & deuotam processionem cum delatione Sacrosanctæ Eucharistie Sacramenti , usque ad maiorem seu aliam principalem Ecclesiam ciuitatis , seu loci , in quo illud celebratur , facere consueveritis . Et dilecti filii prior & fratris domus Cracoviensis , dicti Ordinis quibus ut festum quondam Hiacynthi , qui miraculis claruit , & cuius corpus in eorum Ecclesia requiescit , annis singulis certa die celebrare possint . Apostolica auctoritate indultum exituit .

In festo huiusmodi similiter processionem cum delatione eiusdem corporis celebrare consueuerint, & de concessione Apostolica, cuius vigore processionem praedictam, tempore celebrationis Capituli prouincialis huiusmodi celebratis docere non possitis. Ac propterea cupiatis id, ac etiam ut apud omnes domos & Ecclesias ordinis & prouincie praedictorum similem qua apud dictam domum Cracouensem celebratur in eodem festo Hiacynti celebrare possitis, indulgere. Nos, qui pia vota, py patris affectione libenter prosequimur fidelium praedictorum deuotionem, feruentius inualescere, & illorum animarum saluti fructuosus consulere volentes vestris in hac parte supplicationibus inclinati Presidenti pro tempore existenti vestri prouincialis capituli, tempore celebrationis illius, non solum quatuor, sed etiam alios octo, sive duodecim fratres presbyteros eiusdem Ordinis professeores, iu confessores, qui Christi fidelium praedictorum dictis octo diebus durantibus confessiones audire, & eis pro commissis absolutionem impendere, ac penitentiam salutarem iniungere possint, eligere, & deputare. Nec non de cetero tempore celebrationis capituli prouincialis huiusmodi processionem cum delatione dicti Sacramenti, prout consueuitis celebrare, nec non tam in eiusdem B. Hiacynti quam etiam in S. Antonini nuper canonizati festis diebus in omnibus dominibus & Ecclesiis vestris prouincie praedictae processionem cum delatione Sacramenti huiusmodi, sicut in alijs omnibus festis Sanctorum vestri ordinis facere consueuitis, solemniter facere, & celebrare, & licite valeatis. Quibusuis Apostolicis ac etiam prouincialibus synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus, constitutionibus & ordinationibus ceterisque contrariis nequaquam obstantibus autoritate Apostolica, tenore presentium concedimus & pariter indulgemus.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo piscatoris die 23. Iunij. 1530.  
Pontificatus nostri anno septimo.

*Euangelista.*

Priuilegium Secundum.

*In dulgentia pro celebratione Capitulorum prouincialium  
pronincię Polonię.*

G R E G O R I V S P A P A X I I I .  
Ad perpetuam rei memoriam.



ESIDERANT E S salutem animarum cunctorum Christi fidelium, ea libenter concedimus, per quae ipsi Christi fideles, salutem ipsam, & conscientia sua pacem & tranquillitatem consequi valeant. Cum itaque sicut accepimus Capitulum prouinciale priorum & fratum Ordinis Prædicatorum prouinciae Poloniae de triennio in triennium, celebrari consueuerit, & in uno ex octo diebus per quos dictum capitulum durat, Sanctissimum Eucharistie Sacramentum processionaliter deferatur, maximusque ad dictum capitulum utriusque sexus Christi fidelium concursus habeatur, De omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, ac supplicationibus dilecti filij Melchioris prioris prouincialis Ordinis & prouinciae huiusmodi hac in parte inclinati, omnibus & singulis, utriusque sexus Christi fidelibus, vere penitentibus & confessis, qui quotiescumque & ubique capitulum prouinciale, per dictos priores & fratres celebrabitur, Ecclesiam apud quam capitulum ipsum pro tempore celebrari contigerit, tempore celebrationis illius, a primis vesperris diei quo illud celebrari inchoabitur usque ad octo dies inclusiue, immediate sequentes deuotè visitauerint, & pias inibi preces ad Deum pro haeresum extirpatione, & alijs, pro ut unicuique suggestet deuotio, effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem, Apostolica autoritate tenore presentium elargimur. Contrarijs non obstantibus quibuscumq.

Datum Romæ apud S. Petrum sub anulo pectoris die 20. Iunij. 1580.  
Pontificatus nostri anno nono.

Cesar Glorierius.

Pri-

*Derebus gestis Poloniæ*  
*Priuilegium Tertium.*

*Frates prouinciae Poloniæ possunt de licentia prouincialis celebrare  
 Missas extra Ecclesiæ.*

C R E G O R I V S P A P A X I I I .

**I**LLECTE fili salutem & Apostolicam benedictionem. Cum sicut accepimus in quibusdam ciuitatibus oppidis & locis prouincie Poloniæ tanta hæreticorum potentia & impietas existat, ut catholicos impunè opprimant, nec ijsdem catholicis missas in Ecclesiis quarum raritas in illis partibus existit, audire tuto liccat. Nos supplicationibus tuis hac in parte inclinati, Tibi ac pro tempore existenti Ordinis fratrum Prædicatorum prouincia Poloniæ priori prouinciali licentiam & facultatem dicti ordinis professibus, altaria portatilia babendi, cum debitiis reueretia & honore super quibus in domibus Nobilium Ciuium & incolarum ciuitatum, oppidorum, & locorum dicta prouincie, in quibus vel Ecclesiæ desunt, vel tanta est hæreticorum potentia & impietas, ut Catholicos impunè opprimant in locis ad hoc congruentibus, & honestis, per se ipsos Missas in præsentia personarum catholicarum celebrare possint, in casibus necessitatis tantum. ita quod eis ad culpam nequeat imputari, concedere valeatis, Apostolica auctoritate, tenore presentium de speciali gratia indulgemus. Non obstantibus quibusvis constitutionibus & ordinatiobibus Apostolicis ceterisque contrarijs quibuscumque.

Datum Rome apud S. Petrum sub annulo piscatoris die 20. Iunij 1580.  
 Pontificatus nostri. anno nono. Cesar Glorierius.

C A P V T X V I I .

*Priuilegia nonnulla confraternitatis Sanctissimi Rosarij, in prouincia Poloniæ a supra Petri sede indulta.*

Priuilegium, pro solemní celebratione processionum in quibusdam festiuitatibus.



**L**AUDIUS Rangonus Comes, Dei & Apostolice sedis gratia Episcopus Regij, & Princeps, nec non Sanctissimi D. N. Clementis diuina prouidentia Papæ octaui assistens & Prælatus domesticus, proque eodem Sanctissimo eiusque Sancta sede ad Serenissimum Sigismundum, Poloniæ Suetiæque Regem, totumque Poloniæ Regnum, prouincias, terras, dominia, & loca quæcunque illi quomodo cunq;

tunque subiecta , cum facultatibus Legati de latere Nuncius vniuersis & singulis Christi fidelibus præsentes inspecturis, lectoris pariter & audituris . Salutem in Domino sempiternam, & synceram in Christo charitatem . Nuper nobis pro parte admodum Reueren . P. Magistri Alberti Seco-  
uij prouincialis per totum prædictum Poloniæ Regnum Ordinis Prædi-  
catorum . Narratum fuit a Summi Pontificibus , processiones cum San-  
ctissimo Sacramento corporis Christi , cum indulgentijs , pro quibusli-  
bet B. Mariæ Virginis , nec non Patronorum Ordinis præfati festis , simili-  
ter primo & secundo cuiuslibet mensis die Dominico , in quibus eius-  
dem B. Mariæ Virginis Rosarij , & Nominis Iesu societatum solemnitates  
respectiuè celebrantur , in nonnullis dictorum suorum Ordinis & pro-  
uinciaè Ecclesijs , concessas fuisse , quas processiones , vt omnibus Ordini-  
nis & prouinciaè prædictæ Ecclesijs , de auctoritate Apostolica concedere  
dignaremur , humiliter nobis supplicari fecit . Nos igitur populorum sa-  
luti , omnibus quibus in Domino possumus modis consulere cupientes ,  
vt in omnibus prædictis Ecclesijs prouinciæ præfatae processiones , cum ve-  
nerabili Eucharistiè Sacramento , more prouinciæ solito , in præfatis om-  
nibus festiis , & Dominicis diebus , fieri possint , vigore nostrarum facul-  
tatum auctoritate Apostolica nobis concessarum , ad quarum insertio-  
nenem non tenemur , facultatem pariter , & auctoritatem tenore præsentium  
concedimus & impartimur . In quorum fidem præsentes manu nostra  
subscripsimus & per infrascriptum Notariū nostrum subscribi , sigilliq;  
nostrī quo in talibus utimur , iussimus & fecimus impressione muniri .

Datum Cracovię in palatio solita nostre residentię die decima Octo-  
bris anno Domini millesimo sexcentesimo secundo .

*Claudius Rangonus Episcopus Regij & Princeps  
Nuncius Apostolicus . Gratis ubique .*

*Aloysius Pratisolius Notarius Actorum .*

**Priuilegium, pro quibusdam processionibus, solemnibus, & orationibus  
instar 40. horarum singulis ferijs sextis Quadragesime &c.**

# PAVLVS PAPA QVINTVS.

Ad perpetuam rei memoriam.



*V*M sicut accepimus, in diuersis Ecclesiis Regni Polonie, non nullę pīḡ vtriusque sexus Christi fidelium Confraternitates, sub inuocatione Sanctissimi Rosarij, non tamen ex hominibus vnius specialis artis canonice institutę existant, qui in diuersis pīs charitatis & pietatis operibus sese consueuerunt exercere. Nos vt Confraternitates huiusmodi maiora iudicis suscipiant incrementa, de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus, qui aliquā dictarum Confraternitatū de cetero ingredientur, die primo eorum ingressus, si verē penitentes & confessi Sanctissimum Eucharistię Sacramentum sumperit, Plenariam. Ac tam ipsis nunc & pro tempore describendis, quam tam descriptis, in aliqua dictarum Confraternitatū confratribus, in cuiuslibet eorum mortis articulo, si pariter verē penitentes & confessi, Sacraque communione refecti, vel quatenus id facere nequieverint, saltem contriti, nomen Iesu ore si potuerint, si autem, corde deuotè impetraverint, etiam Plenariam. Nec non omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus, etiam vere penitentibus & confessis, ac Sacra communione refectis, qui Ecclesiam seu oratorium, vel capellam alicuius ex dictis Confraternitatibus, in prima Dominica Octobris, qua featum Sanctissimi Rosarij celebrari consuevit, a primis vesperis, vsque ad occasum solis eiusdem diei singulis annis denotè visitauerint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, heresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesię exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, ac processionem in eodem die a dictis Confratribus per urbium & oppidorum maiores plateas, fieri solitam, pīe associauerint: quoad confratres praefatas, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem misericorditer in Domino concedimus: quoad alios vero non confratres Decem annos, & totidem quadragenas, de iniunctis eis, seu alias quonodolibet debitis penitentijs, in forma Ecclesię consueta relaxamus. Insuper eisdem Confratribus tantum, similiter penitentibus & confessis, ac Sacra communione refectis, qui in singulis ferijs sextis Quadragesimā, exercitia pietatis Christianae, cum meditationibus passionis Christi, & disciplinis (qua ut accepimus in eisdem diebus, per dictos Confratres vsque ad copiosam sanguinis

*Ad instar  
orationis 40.  
horarum.*

nis effusionem , magna cum populi ædificatione , & hæreticorum conuersione peragi consueuerunt) absoluenter; aut M. s. & cantare de passione Domini, antea Sanctissimum Eucharistie Sacramentum, super altaria maiora Ecclesiarum earundem Confraternitatum, ab ortu solis usque ad occasum expositum, in ijsdem febris sextis Quadragesimæ interfuerint. nec non ijs qui processionem in festo Assumptionis Beate Virginis per urbium & oppidorum maiores plateas , prout in festo Sanctissimi Rosarij fieri solitam denotè associauerint, & ibi ut prefertur orauerint ; quo die predicatorum id egerint, decem annos & totidem quadragenas ut prefertur relaxamus . Quoties vero prefati confratres missis & alijs Diuinis officijs quouis anni tempore in Ecclesiis, seu oratorijs, vel capellis dictarum confraternitatum celebrandis, & praesertim officio Beatæ Mariæ Virginis, singulis diebus Dominicis, & festiis per diuos Confratres recitando, vel Letanijs, singulis diebus Sabbathi post Completorium ibidem decantandis interfuerint, aut pauperes hospitio suscepere, vel pacem cum inimicis, propriebus seu alterius composuerint, vel componi fecerint, seu procurauerint, necnon etiam qui corpora defunctorum tam confratrum quam aliorum ad sepulchrum associauerint, vel Sanctissimum Eucharistie Sacramentum ad infirmos , aut alias ubique & quocunque pro tempore defertur comitati fuerint; aut si ad hoc impediri, campanæ ad id signo dato, semel orationem Dominicam, & salutationem Angelicam dixerint, aut demum quodcumque aliud pictatis vel charitatis opus exerauerint, toties pro quolibet predicatorum operum, sexaginta dies de iniunctis, seu alias ut supra relaxamus . Praesentibus pro confratribus perpetuo, pro alijs vero non confratribus ad decennium valituris . Ut autem praesentes litteræ ad singula quæque loca opportuno, facilius deferantur, volumus quodearum transumptis, etiam impræssis, manu alicuius Notarij publici subscriptos, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibetur, que eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibita vel ostensæ .

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo pectoralis, die 13. Aprilis 1606. Pontificatus nostri anno primo.

M. Vestrinus Barbianus.

CA-

## C A P V T X V I I I .

*Sectiones & partitiones diuersæ Conuentuum Prouinciarum Poloniæ.*

**F**OELICITATEM quoque an infelicitatem Prouinciarum, in tot sectionibus, auulsionibusque Conuentuum ultimè euoluere placet. Dicerem infelicitatem? At genitricis Prouinciarum, & Congregationum nomenclaturam illi adimo. Felicitatem vocabo? Si tamen felicitas est corpori in mille partes distrahi. Si felicitas est partibus distractis a corpore, a vita, sensu, participioq; influxum fecerni. Si prope interitum, esse extra compagem, si emori, seiunctis a busto, felicitas est. Vulgatum est illud. Virtus unita fortior, sparsa sectione non item! Et illud. Quantò aliquid magis emouetur ab unitate magis per partitionem dispartitur, magisque corruptioni obnoxium est. Malo Religionis, & suo experiuntur Conuentus Boemiarum, Silesiarum, & Pomeraniæ, quantum illis accesserit deterioris sortis, ex separatione a connaturali corpore Prouinciarum Poloniæ. Ex superioribus, inque toto orbe manifestis deprehende. iudica, & qui potes; errorem olim admissum, emenda.

Prima Sectio Prouinciarum in duas, Poloniæ videlicet & Boemiarum, de qua superius cap. 7. Hæc non multo tempore ex violenta illa auulsione constituit, pristinę unitati ex integro restitutis Conuentibus Boemiarum, ad unam Prouinciam Poloniæ, licet post modum se denuò a corpore Prouinciarum abiunxerint Boemii, inque duas Prouincias, Boemiarum scilicet, & Saxoniæ diuisi, abstractis a Prouincia Poloniæ in Ducatu Pomerianæ his Conuentibus pro Saxoniæ Prouincia.

Soldenensis.

Caminensis.

Gripsualdensis.

Stolpenensis.

Posualcensis.

Ad Prouinciam vero Boemiarum adiuncti

**{** Omnes desolati post separationem.

Francksternensis.

Boleslauiensis.

Legnicensis.

Leuiensis.

Bregensis.

Secunda Sectio. Prouinciarum Cœnobiorum a Gregorio XI. Pontifice Maximo ad instantiam Heliae generalis Magistri facta, dum pro societate illa peregrinantibus, F. Ioannes Provincialis Poloniæ, de consensu mutuo

Patrum

Patrum aliquos Conuentus Russiæ secreuerat, mutuoque concesserat, anno 1378. labi postmodum ceperunt hi Conuentus, ideoque denuò prouinciæ a Patribus ordinis restituti sunt in generalibus Capitulis, ut superius capite 4. actum est.

Tertia auulso. Monasteriorum a prouincia Vratislauiensis scilicet, Opoliensis, Glogouiensis, & Suidnicensis pro noua Congregatione Silesia, Anno Domini 1594. a Reuerendissimo P. F. Hyppolito Maria Beccaria de Monte Regali ordinis generali Magistro. Hi denuò reiuncti sunt prouinciæ Poloniae post annos duodecim decreto Capituli generalis anno 1605. Vallisletani, cuius hęc est series.

Prouinciæ Poloniae restituimus Conuentus in Silesia, videlicet Vratislauensem Glogouensem, Suidnicensem, absoluente ab officio prioratus Vratislauiensis & Vicariatus dictorum Conuentuum Fr. Marcum Freithinger de Carniola.

Quarta & ea nostro tempore Religioni perniciosissima in duas prouincias Poloniae scilicet, & prætensum S. Hyacinthi de Russia, ab eodem Reuerendissimo generali Magistro Hyppolito, in generali Capitulo Valentino 1596. inchoata, & rursus in Capitulo Neapolitano 1600. tentata est. Post varia sacræ Episcoporum, Regularium Congregationis, summiq[ue] Pontificis Clementis Octavi decreta lata, perq[ue] Illustrissimos Regni Cardinales, Bathorem & Radiuillum, per Archiepiscopum Gnesnensem Stanislaum Carncouium aliosque Regni præfules, promulgata & executa, sublata est immensis laboribus in Curia Romana Reuer. P. F. Alberti Secouij sacræ Theolog. Magistri, aliorumque post Coadiutorum iuniorum.

## C A P V T X I X.

*Decreto Sedis Apostolicae, in causa Tentata divisionis Prouinciae Poloniae, executioq[ue] illorum.*

Perapretium erat singula Decreta Sedis Apostolicæ, in progressu causæ istius adiungere. horum tamen (ne nimium excrescat indiculus hic rerum) summam ex his Sanctiss. D. Nostris Pauli Quinti Pontificis Maximi, Confirmatorijs litteris, accepisse Lectori sufficiat, quæ sequuntur.

## PAVLVS PAPA QVINTVS.

Ad perpetuam rei memoriam.



*A S T O R A L I S* nostri officij ratio postulat, ut ea quæ a prædecessoribus nostris sancta, transacta, ac ritè decreta sunt, pro publica tranquillitate Religiosorum, auctoritatis Apostolica munime roboremus, ne vel iniuria temporum exolecant, vel inquietorum artibus, aut alias quovis modo conuellantur. Alias siquidem, per fel. recor. Clementem Papam Octauum prædecessorem nostrum accepto, inter Religiosos prouincia Poloniae, & assertæ prouincia Sancti in Russia Ordinis Prædicatorum, nonnullas differentias, occasione assertæ diuisionis dictæ prouincia Sancti Hyacinthi in prouincia Poloniae in Capitulo Generali eiusdem Ordinis Prædicatorum Valentia celebrato factæ, ortas fuisse, per suas in forma Breuis sub data die xxx. Iulij M D C I. Pontificatus sui anno x. confectas litteras Motu proprio prouinciam sancti Hyacinthi, ac nomen, titulum & essentiam prouincia huiusmodi Apostolica auctoritate perpetuo suppressit, & extinxit; ac in locum eiusdem prouinciae, vnam Congregationem in Russia, Conuentum Lepolien. Camenecen. Kiouien. Rubeicastri, Iazlouien. & Mosticen. olim in prouincia sancti Hyacinthi comprehensorum, a prouincia Poloniae prorsus separatam & diuisam, dicta auctoritate etiam perpetuo erexit, & instituit. ipsique Congregationi Vicarium constituit & deputauit. Ad huiusmodi vero Congregationem Fratres omnes Ruthenos eiusdem ordinis, qui in prouincia Poloniae fuissent, si voluissent, liberè transire posse. & vicissim, si qui ex fratribus Polonis inter Ruthenos adfuisset, ijs ad prouinciam Poloniae redire, & ibidem permanere posse. Conuentus præterea alios omnes, qui in dicto Capitulo Valentia celebrato, a prouincia Poloniae separati, & prouincię sancti Hyaciuthi assignati erant, & presertim Smotricien. licet in litteris dicti Clementis prædecessoris dicatur Mossenen. qui Mossenen. Conuentus non extat, & Vvlodimirien. in Russia, eidem prouincia Polonię restitui voluit & ordinauit, ita ut ex tunc de cætero, supradicti Smotricen. & Vvlodimirien. Conuentus vna cum alijs in eodem Capitulo Valentino nominatis, ad prouinciam Poloniae perpetuo spectarent. non obstante ordinatione ipsius Capituli Valentini, & etiam Neapolitani, vt dicitur mandato eiusdem Clementis prædecessoris facta, quam quoad hanc effectum reuocauit, & annullauit. Privilegia item omnia ad prædictam prouinciam Polonię pertinentia, in Conuentu Leopoliensi depositata, Conuentibus quorum essent, eidem prouincia Polonię restitui debere mandauit. & utrique parti, tam' prouincia Polonię, quam Ruthenorum perpetuum silentium imposuit. Utque hec omnia executioni de-

*man-*

mandarentur, dilectum filium Dominicum Landium Florentinum, Fratrem eiusdem Ordinis Prædicatorum prouinciae Romane sacre Theologiae Lectorem, dictarum litterarum executorem, ac prouinciae Poloniae. Et nouę Congregationis Russicę visitatorem Apostolicum, cum facultatis tunc expensis fecit. Et deputauit, ac alios, prout in dictis litteris continetur. Qui quidem Dominicus Landius, ad illarum executionem procedere volens, accitis atque vocatis Prælatis, Et præcipuis Fratribus, tam prouincie Polonię, quam nouę Congregationis Ruthenorum, sic a dicto Clemente prædecessore instituta, ipsis Kalendis Iulij, anni M D C I I. in Conuentu Beatę Marię Pregaislien. dicti ordinis, Venerabili fratre Matthia Episcopo, vna cum duobus Ecclesiarum Cathedralium Canonicis ibidem existentibus, præmissa invocatione sancti Spiritus, per recitationem hymni. Veni creator Spiritus. Et aliarum piarum precum, in primis Concionem habuit, ad dictos Fratres pro mutua pace, Et charitate amplectenda, dictarumque litterarum executione suscipienda, subindeq; lectis per Notarium publicum, ad hoc specialiter assumptum, in primis patentibus sui Vicariatus, Commissariatus, Et deinceps supradictis litteris, eodem Fratres sic conuocatos interrogauit. an huiusmodi litteris motorem gerere vellent. Qui omnes singillatim, tam suo priuato, quam aliorum Fratrum sibi subditorum nominibus, uti obedientes filij, eisdem Clementis prædecessoris litteris in omnibus Et per omnia, iuxta earum formam, continentiam Et tenorem parituros promiserunt, seque ad hoc per uniuscuiusque ex ipsis subscriptionem ultra astrinxerunt. Quibus Et non nullis alijs executionem in dictis Clementis prædecessoris litteris concorrentibus peractis, tam Matthia Episcopo, quam Dominico executore abortantibus, in signum initę amicitię Et litis sopiae, sibi mutuo dextras porrexcrunt, seque amplexi, Et in signum pacis ex osculati fuerunt, Et demum præpotenti Deo pacis authori gratias agentes, Canticum Te Deum laudamus, summa cum letitia decantando, processionaliter eodem Matthia Episcopo eos comitante, ad chorum Ecclesie Conuentus illius accesserunt, ibique altissimo rursus preces, pro confirmatione pacis Et mutuae charitatis fuderunt, ac alias prout in publico super his confecto instrumento plenus appareret. Quare idem Clemens prædecessor, cui cordi semper fuit discordias præcidere, prospéro Religiosorum statui, Et quieti prospicere cupiens, motu simili, processum super executione suarum litterarum prædictarum, ut prefatur habitum, ipsamque executionem, ac protelm tangunt Et concernunt, omnia Et singula in dicto instrumento contenta, cum inde securis, auctoritate Apostolica perpetuo confirmavit Et approbanit, rataque Et grata habuit, ac Apostolico confirmationis robore communivit. ac omnes Et singulos, tam iuris quam facti defictus, si qui desuper quomodolibet interuenissent, supplevit. Decernens processum, ac executionem, aliaque præmissa, necnon suas litteras, nullo

ibi, ac restitutio[n]em Conventuum prouincia Poloniae concernentes & con-  
 cernentia, omniaq[ue]; & singula in eis contenta, querum tenores ac si de verbo  
 ad verbum insererentur, presentibus pro expressis haberi volumus, cum  
 omnibus inde fecutis, auctoritate Apostolica tenore presentium perpetuo  
 confirmamus & approbamus, ac illis perpetue, & inuiolabilis Apostolice  
 firmitatis robur adiçimus, omnesque & singula tam iuris quam facti, ac  
 solemnitatem defectus, si qui desuper, quolibet interuenient, in eisdem  
 supplemus. Quocirca venerabilibus fratribus Archiepiscopis Gnesnen.  
 & Leopolien. & Episcopis Cracouien. Premislien. Luceorien. Cameneen.  
 Chelmen. & Kionien. ac dilecto filio, nostro & Apostolicae sedis in Regno  
 Poloniæ Nuncio per presentes committimus & mandamus, quatenus ip-  
 si, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios praesentes litteras, &  
 in eis contenta quæcunque, vbi & quando opus fuerit, & quoties pro parte  
 Provincialis, & Fratrum prouincie Poloniæ, fuerint requisiti, solemniter  
 publicantes, eisque in premissis efficacis defensionis praesidio assistente,  
 faciant anchoritatem nostra eadem premissa omnia & singula perpetuo obser-  
 uari, ac ipsam prouinciam Poloniæ, illiusque prouincialem & fratres nunc  
 & pro tempore existentes illorum effectu pacifice frui & gaudere. Non per-  
 mittentes eos desuper & quoque, quanis auctoritate, quomodolibet indebite  
 molestari; Contradictores quoescunque per censoras & penas Ecclesiastici-  
 cas, aliaque opportuna iuris & facti remedia, appellatione postposita com-  
 pescendo, innocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij saecularis.  
 Non obstantibus premissis, a fal. ree. Gregorij XI. litteris, qua incipiunt.  
 Super cuncta desiderabilia. Roma quinto Kal. Februarij. Pontificatus sui  
 anno octavo, ac p[ro]p[ter]i memorie T[ri]ni[ti]tatis. qua incipiunt. Dum lenarus. Pridie  
 Idus Iunij, Pontificatus sui, anno sexto, ac Sixti IIII. similis memoria,  
 quarum initium est. Apostolicae servitutis officium. Roma Kal. Aprilis,  
 1473. Pontificatus sui, anno secundo, ac aliorum Romanorum Pontificum,  
 pro societate peregrinantium. attento quod iam olim anno dom. 1456. in  
 Capitulo generali Motifpessulanii, & alijs duobus subsequentibus eiusdem  
 Ordinis perpetuo extincta fuit; ac Bonifacij Pape octaui de una, & in Con-  
 cilio generali edita de duabus dietis, d[omi]nmodo ultra tres dietas, aliquis au-  
 thoritate presentium ad Iudicium non trahatur; alijsque constitutionibus  
 & ordinationibus Apostolicis, ac etiam ordinationibus Capitulorum gene-  
 ralium eiusdem Ordinis Predicotorum, Valentini, & Neapolitani, dictæ  
 prouincia Poloniae priuditum, necnon prefatæ prouincie Sancti Hiacyn-  
 thi de Russia creationem concernentibus, ac predicti Magistri generalis  
 Hippoliti Mariae litteris, ac auditoris cameræ suspensiis executionis sen-  
 tentiæ Sacrae congregatiōnis, immo riu[er]ius Sedis Apostolice, necnon alijs litteris  
 dicti Clementis predecessoris, quibus contineatur, ne scilicet prouincia-  
 lis se intronuittat in gubernium Conventuum Russicæ. Necnon admissione  
 in actibus Capituli generalis, in hac alma vrbe de anno 1601. celebrati

ad vocem, locum & dissinitionem provincialis, dissinitoris & electoris praetensi, assertę olim prouinciae Sancti Hiacynthi de Russia, ac etiam litteris nostris in forma breuis sub die 7. Ianuarij 1606. quibus priuilegia Societati Peregrinantium concessa intendebamus confirmare, quae incipiunt.  
 In iuncti nobis Apostolici munera, ac quibuscunque alijs constitutionibus & ordinationibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis sub quibuscunque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatorijs, alijsque efficacioribus & insolitis clausulis, ac irritantibus, & alijs decretis in contrarium quomodolibet facientibus. Quibus omnibus & singulis, etiam si pro illorum sufficienzi derogatione de illis, eorumq; totis tenoribus specialis, specifica, expresa & individua, non au tem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda foret, illis alias in suorobore permansuris, tenores huiusmodi, acsi de verbo ad verbum insererentur, presentibus pro expressis habentes, hac vice duntaxat, specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrarijs quibuscunque, volumus autem ut presentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, & sigillo alicuius persona in dignitate Ecclesiastica constitutę munitis, eadem prorsus fides adhibeat, que ipsis presentibus adhiberetur, si forent exhibita vel ostensa.

Datum Romę apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die 22. Maij. 1606. Pontificatus nostri anno primo.

Marcellus Vestrius Barbianus.

Pro coronide autem opusculi, legē mihi has litteras fœlicis memoriae Papæ Clementis octaui ad patres prouinciae Poloniae non refractarios, sed dicto obedientes, in rem graui & præjudiciale, quanta erat, diuisionem prouinciaz, antea vnamimis, a sua constitutione, talibus qualibus fuerat tentata artibus aspicere.

Dilectis filijs Prouinciali, & Fratribus prouinciaz Poloniae Ordinis Prædicatorum.

## CLEMENS PAPA VIII.



I L E C T I filij, salutem & Apostolicam benedictionem.  
 Legimus libenter litteras vestras, non ob eam causam, quod gratias nobis agitis, sed quia in eis elucet pietas vestra, & deuotio, & obedientia erga nos, & erga hanc Sanctam Sedem, in qua nos immeriti, Spiritu Sancto auctore presidemus.  
 Nos autem vos, & prouinciam istam, paternę charitatis affectu completimur, in visceribus Iesu Christi, & que pacis & tranquillitatis vestre causa,

causa, pastorali sollicitudine egimus & prouidimus, quæ a vobis grata animo commemoratur, ea certe propensa in primis erga vos voluntate egimus. Et quæ de visitatoris nostri zelo, prudentia & dexteritate scribiuntur, in vestra quiete & concordia procuranda, ea & nostræ expectationi sunt consentanea, & valde iucunda. Quamobrem vos tanto impensius in Dominio hortamur, & paterne admonemus, ut constabilitam concordiam, omni studio & diligentia obseruetis, que Deo accepta, vobis & provincie salutaris, nobis etiam pergrata est. Quod reliquum est filij, manete in dilectione & charitate, quod est vinculum perfectionis, & ambulate in domo Dei cum consensu, seruientes illi in Sancta vocatione vestra, in corde perfecto, & orate pro infirmitate nostra ad Patrem misericordiarum, ut que illi placita sunt, ipso iuuante, per merita etiam gloriose confessoris sui Sancti Hyacinthi, vestris & Regni Poloniæ patroni semper faciamus. Vobisque Apostolicam benedictionem nostram benigne impartimur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die ultima Maij 1603. Pontificatus nostri anno duodecimo.

Sylvius Antonianus, Cardinalis.

F I N . I S.



CLEMENS TAVANUS.

